
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY


SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

DE LYSIAE EPITAPHII AUTHENTIA VERISIMILI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI MENSIS JULII ANNI MDCCCLXXXVII HORA XII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

Peter

PETRUS THOMASCHIK

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:


LEOPOLD SKOWRONSKI, DR. PHIL.

ERNST RING, STUD. IUR.


VRATISLAVIAE

TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHORUM VRATISLAVIENSIUM

MDCCCLXXXVII.


HARVARD COLLEGE
DEC 11 1891
LIBRARY

PATRI SACRUM.


HARVARD COLLEGE
DEC 11 1891
LIBRARY

PATRI SACRUM.

281

Isocrates IV, 8 οὐκέτι φευκτέον ταῦτ᾽ ἐστί, περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ᾽ ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον.

Vix ulla quaestio litterarum Graecarum imprimisque eloquentiae Atticae inter homines doctos aut acrius studium excitavit aut maiorem dissensionem commovit quam illa disquisitio, quae posita est in epitaphii, qui Lysiae inscribitur, vera origine statuenda. Neque hoc mirum esse debet. Nam iure dubitare possumus, utrum haec oratio plus auctoritatis habeat ad antiquiorem eloquentiam Atticam cognoscendam, an plus praebeat difficultatis ad verum suum auctorem explorandum. Atque quantum pondus et momentum Lysiae epitaphius, siquidem genuinus est, ipse per se habeat, utpote qui antiquissimum sit sui generis monumentum idque a clarissimo illius temporis conditum oratore, non opus videtur esse vel uno verbo monere. Quantum vero valeat ad alia eiusdem aetatis scripta illustranda, satis apparebit, cum argumenta ipsa, quae extrinsecus ad eius fidem auctoritatemque demonstrandam afferuntur, explicaverimus. Diiudicationem autem huius quaestionis difficillimam esse vel inde elucet, quod quamvis multi adhuc hanc causam tentaverint quamvisque magnam operam atque doctrinam in ea consumpserint, mea quidem sententia nemini adhuc contigit illud quasi quoddam aenigma litterarum plane persolvere atque ad exitum adducere. Nam si historiam et praesentem statum huius quaestionis breviter perlustramus, ut semel inde a Reiskio de Lysiae epitaphii genuina origine dubitationes excitatae sunt, decursu temporis totidem docti ac praeclari viri contra eum adversarii, quot pro eo patroni

exstiterunt. Ac longe studiosissimus Lysiae defensor factus est Lebeauus libro suo 1863 Stuttgardiae edito: ‚Lysias Epitaphios als echt erwiesen‘.[1]) Qui quidem vir opusculo suo, in quo ceterum p. 4—10, quaecumque de epitaphio usque ad eius tempus testimonia erant dicta vel commentarii scripti, diligenter composuit, tanto cum studio hoc patrocinium suscepit tantaque persecutus est diligentia atque doctrina, ut omnes dubitationes sustulisse controversiamque in omne tempus diremisse videretur. At nihilominus Sauppius[2]) et Blassius[3]) epitaphium condemnaverunt, eorumque sententiam secuti Eckertus[4]) et Richterus[5]) ut spurium contra Lebeauum accuratius demonstrare conati sunt veteres suspiciones novis argumentis confirmantes, novas dubitationes cumulantes. Quae cum ita sint, tantum abest, ut de Lysiaca origine epitaphii satis constet, ut haec contraria opinio magis magisque evincere atque plus in dies inveterascere videatur. Ac tamen illa huius orationis condemnatio praepropera esse neque satis rationi verae doctrinae respondere mihi videtur.[6]) Equidem certe quanta poteram maxima opera ac diligentia in hac re collocata pro mea parte nova argumenta inveni, quae epitaphii auctoritati fideique favent. Huc accessit, quod editione huius orationis nuper per Erdmannum curata,[7]) quae in diligentissima nova collatione codicum posita est,[8]) iam huic quoque criticae exercendae firmissimum fundamentum iactum est, quod haudquaquam nostrae sententiae videbatur obstare. His igitur rationibus commotus atque nixus in animum induxi conari, si mihi

[1]) Ante L. hanc causam defenderat praecipue Geversius: Disputationis de Lysia epitaphii auctore caput alterum. Gott. 1839.

[2]) Goetting. Gel. Anz. 1864, vol. I, p. 824 s.

[3]) Gesch. der att. Bereds. I, Leipz. 1868 p. 429 s.

[4]) De epitaphio Lysiae oratori falso tributo. Berol. 1868.

[5]) De epitaphii, qui sub Lysiae nomine fertur, genere dicendi. Gryph. 1881.

[6]) Cf. Boeckh, Encykl. und Method. d. phil. Wiss. Leipzig 1877 p. 212.

[7]) Lipsiae 1881,

[8]) Cf. eiusdem: De Pseudolysiae epitaphii codicibus. Lipsiae 1881.

contingeret demonstrare epitaphium nihilo secius Lysiae tribuendum veterumque testimoniis fidem esse habendam. Atque ut, quoniam haec res tam difficilis est, timeo, ne audaciae temeritatisque crimen subeam, quod audeo eam tentare denuoque in medium proferre, ita, quoniam eadem tam gravis est, spero operae pretium me esse facturum, si mihi contigerit ad eam certo ac definite diiudicandam vel minimum conferre.

Si examinamus argumenta, quae in epitaphii vero auctore exquirendo in utramque partem a viris doctis extrinsecus assumuntur, non tam dissensionem hominum mirari quam rerum ambiguitatem dolere debemus. Nam Lebeauus iique, qui epitaphium Lysiae esse volunt, Schoenbornii [1]) exemplum secuti contendunt Platonem in dialogo Menexeno componendo ea ratione ductum esse, ut hac sua oratione funebri Lysiae potissimum epitaphium tum perstringeret atque irrideret, tum vinceret ac superaret. At vero Menexenus ipse a multis in dubitationem vocatur atque ad declamatorem aliquem posterioris temporis reicitur. Quin etiam Sauppius [2]) indicium, quo utraque simul harum orationum reiceretur, sibi videtur repperisse contendens ludos funebres, quorum in utraque oratione mentio fit, belli Corinthiaci temporibus nondum celebratos fuisse. Eadem atque simillima est ratio, qua Lysiae epitaphius cum Aristotelis artis rhetoricae libro III cohaeret. Nam cum ibi c. 10,7 manifestissime epitaphius noster confirmetur, alii hunc locum suo iure pro testimonio huius orationis auctoritatis accipiunt, cum alii id nihili faciant neque curent, quoniam illum quoque librum pro spurio ac subdito, certe pro graviter interpolato habendum esse arbitrantur. Quid vero dicam de ratione, quae epitaphio intercedit cum panegyrico Isocratis? Quae quidem quaestio

[1]) Ueber das Verhältniss von Platons Menexenus zu dem Epitaphius d. Lysias. Guben 1830. 4.

[2]) Goett. Nachr. 1864, p. 199 ss.

plane in controversia versatur. Nam manifestum est aut Isocratem in hac sua oratione componenda ex epitaphio nostro hausisse aut huius auctorem, quisquis est, panegyricum excerpsisse, nisi forte putamus utrumque oratorem unius et eiusdem alius scriptoris scrinia compilavisse. Itaque ex hac quoque huius quaestionis ambiguitate ad suum utrique sectatores commodum, prout de epitaphio sentiunt, capiunt fructum. Contra minus incerta et obscura est necessitudo, quam Lysiae epitaphius cum eiusdem oratoris erotico habet. Cum enim de huius oratiunculae origine Lysiaca iam satis certe constare videatur,[1] quoniam ad genus demonstrativum prope accedit, optimo iure ex eius compositione de fide epitaphii ratiocinari debemus. Certe hae orationes invicem sibi Lysiam auctorem fulciunt atque tuentur, siquidem aliquam, quaecumque sit, maiorem similitudinem inter eas intercedere ostendi potest. Sed utut erotici quidem ratio se habet, quamvis de veritate argumentorum, quae imprimis Lebeauus ex omnibus illis scriptis ad epitaphium defendendum attulit, mihi ipsi persuasum sit, tamen concedo in iis acquiesci non posse, quia non in fundamentis plane firmis posita, certe non ita munita sunt, ut non adversario ex aliqua parte latus praebeant. Immo vero satis apparet illa scripta partim ipsa confirmationem suae fidei auctoritatisque desiderarere neque eam nisi huius ipsius orationis germana origine aliunde demonstrata adipisci posse videri. Itaque momentum ac fundamentum quaestionis ad genus dicendi iudicandum comparationemque inter epitaphium et ceteras Lysiae orationes genuinas faciendam videtur esse transferendum. At in hac re dissensio etiam maior facta controversiaque magis exacuta est. Et profecto compositionis quidem quoque in epitaphio natura in universum tantae ambiguitatis speciem praebet, ut hic non sagacitate investigantis, sed divinatione vaticinantis opus esse videatur. Nam quamquam Lebeauus Hoelscheri[2]) dubitationibus refutatis ac dilutis ipse in hac quoque re tantum praestitit et effecit,

[1]) Cf. Blassius l. l. p. 416 s.

[2]) De vita et scriptis Lysiae p. 48—54.

ut nihil iam contra dici neque epitaphii auctoritas rursus labefactari posse videretur, tamen eius adversarii in ipso potissimum genere dicendi procul dubio certa indicia spuriae huius orationis indolis se invenisse arbitrantur. Quae quamquam ita sunt, nihilominus nosmet illis, quas supra attulimus, causis commoti hac ipsa altera potissimum inquirendi ratione id, quod propositum est, demonstrare conabimur. Itaque nunc primum illis adversariorum nostrorum dubitationibus occurramus.

Sunt qui epitaphio vertant vitio atque obiciant inopiam argumenti affectationemque sententiarum, perturbationem dispositionis, inconcinnitatem compositionis, insolentiam verborum tumoremque elocutionis. Quatenus haec opprobria iusta sunt, eatenus etiam illa epitaphii vitia prorsus probari atque excusari possunt. Nam si volumus, Lysiae epitaphius pariter atque eiusdem eroticus re vera sophisticum quiddam atque artificiosum spirat, et quanto illa amatoria oratiuncula distat ab illo, cui opposita est, sublimi atque divino ingenio Platonis, tanto haec nostra funebris abhorret fere a maiestate et gravitate sententiarum epitaphii apud Thucydidem Periclei. Apparet oratori, quamvis calcaria admoveret, non licitum fuisse altius assurgere et evolare terminosque, qui ei a natura positi erant, transcendere. Atque quo magis hae Lysiae orationes sublimitate ac praestantia argumenti rerumque carent, eo magis artem quandam ostentationemque in explicando atque dicendo affectant. Verum cum orator in erotico ut in materie abstrusiore sermonis simplicitate ac tenuitate servata magis argumentorum minutam subtilitatem ostentet argutiasque sectetur, idem in epitaphio ut in argumento grandiore haud ita sententiis elatus magis ipsorum verborum iactantia artificiisque ornamentorum animos audientium captat. Quomodo hoc convenit cum illa Lysiae simplici atque inaffectata dicendi vi in genere iudiciali? Hic nobis auxilio est illud de Lysia testimonium Dionysii,[1]) quod non possumus facere

[1]) De Lys. 28.

quin iterum atque iterum appellemus et proferamus: ἐν μὲν δὴ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις μαλακώτερος· βούλεται μὲν γὰρ ὑψηλότερος εἶναι καὶ μεγαλοπρεπέστερος — οὐ διαγείρει δὲ τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ Ἰσοκράτης ἢ Δημοσθένης. Nihil omnium rerum magis congruit cum re in natura posita quam hoc iudicium. Orator in genere demonstrativo debilior est et, quia ipse id sentit, sublimior et grandior esse vult, id est: quod naturalis ingenii eum deficit, id quasi arte compensare studet. Qua autem de causa Lysias in illo genere deterior fuerit ac minus profecerit, idem ille criticus nos docet,[1]) cum dicit eum magis idoneum esse ad parva et mira et difficilia dicenda venuste quam ad magna et copiosa valide. Hac re arte continetur, quod apud eundem Dionysium [2]) confirmatum invenimus, oratorem melius scivisse ἤθει docere et persuadere quam πάθει commovere et rapere. Cum autem in oratione demonstrativa posterius potissimum affectuum genus multum valeat, necesse fuit Lysiam hac quoque de causa in epitaphio inferiorem exsistere.

In dispositione partiumque distributione Lysias item haud ita validus dicendus est. Quae iudice Dionysio [3]) simplex est atque plerumque uniformis, Platone[4]) vero in erotico quidem certe vitiosa. In qua re hoc cernitur et qua ratione explicari potest? Non magis quam in rerum inventione philosophus orator est in rerum dispositione dialecticus. Namque omni arte repudiata atque reiecta solo ingenio ductus in exponendo argumento non rationes quasdam generales sequitur, ad quas res referat, sed res ita describit et enarrat, ut ab iis demum quasi notiones communes rationesque repetat. Adhibet igitur rationem, ut ita dicam, magis inductivam et historicam quam deductivam et philosophicam. Ex hac autem expositione primum consequitur, ut saepe res proposita parum presse definita ac circumscripta sit, parumque aperte exstet aut omnino desit principium quoddam atque cardo, circum quem omnia ac singula vertantur, quo cohaereant et contineantur. Membra deinde

[1]) De Lys. 16. — [2]) Ibd. 13, 19. — [3]) Ibd. 15. — [4]) Phaedrus, 264 a, b.

orationis ipsa argumentaque, quoniam non ad altiorem quandam rationem revocata sunt omnique interiore carent vinculo, quodammodo sui quaeque iuris sunt tamque laxe extrinsecus quoque inter se cohaerent, ut quasi dilabi videantur. Certe solis illis semperque similibus transgrediendi particulis extrema tantum annexio partium effici potest. Qua de causa, idque Plato[1]) de erotico quidem aperte significat, singula argumenta, nisi forte temporis ordine continentur, ad libidinem inter se transmutari possint, ut toti rei nihil officiatur. Huic igitur simplici atque illaboratae ne dicam rudi disponendi et annectendi rationi subiecta est tam historica illa rerum silva epitaphii quam dialectica materies erotici. Quin etiam genus iudiciale illius solutae argumentorum annexionis valde memoriam excitat atque in oratione Agoratea optimum huius rei exemplum praebet. Denique quoniam Lysias in exponendo a rebus ordiri solet, necesse est in eius orationibus fere historicum elementum praevaleat, generalior autem considerandi atque argumentandi ratio plus minusve recedat. Ac quemadmodum orator in genere iudiciali ad res ipsas se applicat in iis enarrandis breviter tantum et tamquam furtive argumentans atque persuadens, sic in epitaphio quoque factis maiorum enarrandis maximam partem tribuit inter eas strictim et quasi per transennam docens atque exhortans.

Compositionem epitaphii ut recte iudicare atque aestimare possimus, historica contemplandi ratio nobis videtur esse ingredienda. Ac Lysias in nascente et crescente eloquentia Attica nescio quam singularem ac praecipuum locum tenet. Nam quamquam inter omnes constat hunc oratorem primum simpliciori dictioni operam dedisse atque adeo illius, quod omnibus notum est, iudicialis generis auctorem exstitisse, tamen non minus pro certo stat eundem Gorgiae ceterorumque Siculorum disciplina imbutum fuisse, qui elaboraverunt in genere illo demonstrativo ad ostentationem comparato atque poetico quodam colore distincto. Quare paene

[1]) Phaedrus, 264a, b.

dici posse videtur in nostro oratore quasi duo genera dicendi, Siculum et Atticum, confluxisse atque coaluisse. Nam quamquam eae, quae nunc eius exstant, orationes iudiciales proprio fucu fastuque carent, tamen id multum refert, utrum Lysias tamquam uno impetu omnia illa dicendi artificia abiecerit neque ullum vestigium eorum reliquerit, an illius Siculorum disciplinae artisque vis in demonstrativo saltem eius genere plus valuerit vel etiam praevaluerit. De qua re quamvis certo in universum compertum sit atque in vulgus constet, tamen de pergravi loco duo gravissimi antiquitatis auctores inter se dissentiunt. Nam cum Theophrastus illam Lysiae orationem pro Nicia, ut videtur, declamandi causa scriptam respiciens huic oratori nimiam ostentationem opprobrio fecisset illamque aequalitatem consonantiamque membrorum increpans ineptam atque poematis instar vocavisset, Dionysius [1]) hoc de Lysia iudicium vehementer impugnat orationem illam ei abiudicans. Reprehensio severi philosophi licet ferri possit, rhetor in hac re mihi quidem multo severius iudicasse videtur, quam ut ei necesse esset illam declamationem Lysiae abrogare. Nam quod ad antithetorum usum attinet, nonne his ornamentis huius oratoris dictio etiam in omnibus iis, quae exstant, orationibus quasi intexta est? Quae quidem quamquam, ut Photius [2]) confirmat, non tam ex industria ficta factaque et ad ostentationem composita sunt quam quae ex rebus ipsis nasci naturamque sequi videantur, tamen Blassius,[3]) qui quidem ipse pro sententia Dionysii Theophrasto obloquentis acriter pugnet, iure miratur, quod hic Lysiae iudex illam a Photio commemoratam huius oratoris tam propriam rationem adeo non in censum vocaverit. Quare iure ponere debemus Dionysium sive nimio Lysiae studio ductum sive magis elegantiae quam historiae rationes secutum benignius, quam par erat, hunc oratorem in illa re iudicavisse. Si autem hoc ita se habet atque cum omnino Lysiae cum schola Sicula cognatio principio artior fuisse putanda, tum illa oratio pro Nicia scripta re vera genuina habenda est,

[1]) De Lys. 14, — [2]) Cod. 262. — [3]) l. l. p. 392.

ex hac re compositio epitaphii satis superque explicari potest. Nam orator, quamquam manifesto iam vel maximos globos in ambitus referre ac rotunde circumscribere studet, tamen rigorem quendam compositionis antiquae nondum plane superare potest, cum ex altera parte etiam longa serie semperque simili tenore antitheta continuet. Illud enim ipsum concinnitatis studium, in ostentatione demonstrativa positum, necesse est magis uniformem efficiat continuationem membrorum rotundaeque ac circumscriptae compositioni verborum officiat. Cuius rei non est insignius exemplum quam fragmentum illud epitaphii Gorgiae, quod, prout antithetorum ornatu maxime abundat, ita rotundi quidem ac compositi minimum habet. Quod artis huius rhetoris haud dubie genuinum monumentum longa sua continuatione membrorum aequalium aequaliterque structorum in historia eloquentiae Graecae quasi archaici cuiusdam stili vice fungitur. Etiamsi igitur non quidem ponere volumus hoc Gorgiae epitaphii genus compositionis Lysiae in condendo suo epitaphio directo ut exemplum ante oculos obversatum esse, in hac re considerandа historica ratio ac comparatio utique recusari non potest. Nam si huic solutae compositioni Gorgiae Isocratis illam perfectam absolutamque periodorum rotunditatem opponimus, nonne noster epitaphius inter hos oratores in medio ponendus atque tam componendi ratione quam aetate quasi transitum inter eos facere putandus est? Itaque haec oratio haud obscurum quendam gradum progressumque in periodo panegyrica excolenda significare videtur. Cui autem magis consentaneum est hoc munus vindicari epitaphiumque tribui, quam eidem Lysiae, qui iudicialem quoque periodum aut ipse demum invenerat aut iam inventum excoluerat? [1]) Neque vero in ipsius iudicialis generis compositione, in qua quidem orator perquam multo plus quam in panegyrica elaboraverit atque versatus sit, aut plane exculta aut semper eadem indoles comparet, sed huic quoque antiquus quidam rigor affectatioque plus minusve adhaeret.

[1]) Cf. Dionys. de Lys. 6.

Ex iisdem rationibus originis et naturae eloquentiae epideicticae elocutio epitaphii repeti atque explicari potest. Gorgias in epitaphio suo eiusmodi splendorem et amplitudinem verborum ostentavit ac prae se tulit, ut fieri non posset, quin eius exemplum et auctoritas in multum tempus valeret ac pertineret neque in Lysia effectu careret. At enim hic ipse orator in sermone iudicialium orationum tam simplex est quam quisquam esse potest, eiusque tenuitas dicendi a Dionysio[1]) ipsi Gorgiae pompae praerupte opponitur. At ille criticus cum in omnibus tum in hac contentione ex potiore parte iudicasse atque Lysiae orationes iudiciales, contra demonstrativas Georgiae in mente habuisse videtur. Quippe enim in demonstrativo quidem genere oratori nostro quendam modum poetici ornatus sane concedit.[2]) Iam vero iam apud Gorgiam ipsum inter duo illa dicendi genera tantum discrimen dictionis intercessit atque valuit, ut Lysiae epitaphius tam elocutione quam compositione vix maiore distet intervallo ab huius fere Eratosthenica quam illius rhetoris epitaphius ab eiusdem oratione pro Palamede. Namque omnino omnes eae, quas tractavimus, res ad iactationem ostentationemque comparatae non solum Lysiae epitaphii propriae sunt, sed plus minus ad totum genus harum orationum pertinent. Sive enim hoc ingenii oratorum sive iudicii auditorum sive utriusque vitium erat, ut semel Gorgias illam artem eloquentiae epideicticae aperuit, omnes posteriores in hoc genere per longum tempus eius vestigia sequebantur. Ac praecipue in funebribus et, quo quaeque iis cognatiores erant, orationibus traditione et prisco quodam ritu singularis quaedam ostentatio sancita fuisse videtur, quae arti affectationique materiam praebebat, naturam sinceritatemque reprimebat. Quin etiam cum eloquentia Attica iudicialis in summum fastigium gloriae evecta esset atque iam pridem omnibus vinculis artis Gorgianae se liberavisset, in laudationibus quidem suis Xenophon ille et Hyperides affectatum illud iactandi studium

1) Ibd. 3. 2) De Lys. 3.

ex prioribus temporibus residuum prorsus superare non potuerunt. Quae cum ita sint, epitaphii quoque elocutio dictioque cum ipsa per se excusatur, tum, si quis forte eiusdem auctoris olympiacum ei obtendat, satis defenditur.

Utcumque hae, quas attulimus, causae se habent, nunc utique iis, quae contra nos contenduntur, pondus certorum argumentorum opponamus, quae nostram sententiam testantur. Ab utra parte tum summa et auctoritas rationum praeponderat, ea momentum habeat.

Quamquam proprie nulla certa norma ac regula statui potest, ad quam epitaphius perpendatur atque determinetur, tamen comparationem eius cum ceteris Lysiae orationibus equidem perquam pro fundamento huius quaestionis pono neque aliter eam persolvi posse existimo. Namque illa omnium rerum lex et natura, quam vulgo necessitatem appellamus, in mente quoque humana tantum valet ac viget, ut quidquid semel ingenio concepimus et concoximus, id iterum iterumque pari modo fingere atque effingere consuerimus neque e contrario proprie aut singulas novas cogitationes informare aut universas sententias proferre queamus, nisi quibusdam imaginibus notionibusque, quas iam mente perceptas et cognitas habemus, tamquam primariis cogitandi elementis atque formis coniungendis, transformandis, amplificandis. Non quo forte haec mentis ac memoriae humanae ratio et facultas, quam philosophi angustiore quodam intellectu associationem idearum vocare solent, in hac tali quaestione nova atque inaudita sit ac non potius semper adhibeatur, sed quam immensum pondus ac momentum in hac tali critice prospere exercenda habeat et habeat necesse sit, nondum satis mihi quidem videtur esse cognitum et comprobatum. Neque vero veremur, ne in hac lege ac ratione ad epitaphium adhibenda iis, quae ex parte adversa contra dicuntur, in angustias compellamur, sed fieri non potest, ut profunditatem ingenii humani praesertim ex his tenuibus reliquiis penitus perscrutemur atque perspiciamus. At vero imitatio cum in omnibus his rebus nonnihil valet, tum in veterum litteris maximi fuit momenti.

At ut imitando perquam magnum effici posse atque effectum esse negari nequit, ita in hac quidem oratione talis opinio prorsus excludenda est. Nam cur tandem quisquam in oratione demonstrativa atque funebri genus iudiciale imitaretur? Tum vero inter epitaphium et ceteras Lysiae orationes non tam speciosa et externa intercedit verborum similitudo quam interior quaedam ingenii cognatio atque necessitudo. Quae tanta est, ut non solum in universo sententiarum genere et colore, sed etiam in singulis cogitandi dicendique elementis compareat. Nam ut iam viam ipsam filumque illius rationis nostrae illustrandae proponamus, quasi universi Lysiae generis dicendi imaginem quandam designare ac depingere velimus, a Lebeauo satis libere ex materia omnium, quae vulgo genuinae habentur, eius orationum — excludendae igitur sunt, de quarum spuria indole in vulgus ferme pro certo stat, orationes VI, VIII, XI, XX — si hac similitudine cum ratione utimur atque verbo invidia abest, quasi quoddam opusculum tessellatum condere conabimur demonstrantes singula elementa rerum sententiarumque epitaphii tamquam tesserulas quasdam in hanc effigiem apte inseri posse tamque in lineas quam in colores eius egregie quadrare. Quo autem accuratius Lysiae propriam naturam eruamus atque quasi circuitione quadam circumscribamus, etiam alios scriptores imprimisque Isocratem subinde necesse erit respicere, quippe qui eiusdem aetatis orator et rebus et verbis ad hunc nostrum in epitaphio quidem certe proxime accedat. Etenim vel illa ipsa peculiaris quaestio, utrum epitaphius magis compilatorem Isocratis redoleat, an potius verisimilius sit hunc oratorem epitaphium excerpsisse, nisi tali generaliore cum illo comparatione certo diiudicari non potest.

In inventione epitaphii, si hac notione etiam minutam rerum ac sententiarum silvam comprehendere volumus, imago Lysiae ut in speculo fideliter cernitur. Nam si verum est, quod quidem dubitari nequit, qua quisque sit natura et indole, eam eum in scriptis suis declarare ac prae se ferre, Lysias in orationibus suis illustrissimum posuit animi

ingeniique sui monumentum. Ac si in ullo veterum scriptorum, certe in Lysiae imagine describenda imprimis quaerendum videtur, quid hic orator de re publica gerenda senserit, quam rationem rerum civilium secutus sit. Nam quamquam ipse numquam insigniores partes in civitate egit, tamen vitae suae vicissitudinibus coactus est rei publicae vehementissime studere patriaeque saluti consulere. An plaga illa Lysiae a triginta viris inflicta non fuit necesse profundam atque indelebilem quandam impressionem in animo eius relinqui omniaque eius dicta factaque quasi plane populari quadam forma percuti? Etenim idem iam antea atque natura amicus populi et optimatium inimicus fuerat. Ne multa, Lysias triginta virorum eorumque dominationis exacerbatissimus adversarius fuit. Atque cum de eo ageretur, ut illi tyranni expellerentur imperiumque populare restitueretur, pro patriae libertate eum non solum ipsum in acie fortiter dimicare, verum etiam ultimas suas fortunas in discrimen offerre videmus. Hoc igitur populi studium et tyrannorum odium Lysias non solum in vita sua consilio et re praestitit, sed etiam in suis, quas scripsit, orationibus apertissime atque disertissime expressit. Quin etiam ipse suoque nomine bis saltem adiumento facultatis oratoriae usus pro salute patriae contra tyrannos propugnavit, eiusque oratio duodecima perinde atque olympiacus praeclarissima sunt testimonia et documenta animi eius popularis atque in omnem dominationem infensi. Quod si hinc has Lysiae virtutes respicimus, illinc illas in epitaphio imagines exemplaque amoris patriae, libertatis studii, dominatus odii, tum vero illam popularium, a quibus ille ipse steterat et pugnaverat, praedicationem reputamus, num praeclarius aut huius oratoris animi indoles confirmari atque quasi suppleri aut illi orationi lux et auctoritas afferri potest, quam si eam ab illo compositam ponimus et conicimus? Ne plura dicam, verisimillimum est nullum alium quam Lysiam ipsum, quippe qui in ceteris orationibus usque quaque populare imperium illosque eius propugnatores summis efferat laudibus, in epitaphio occasio-

nem oblatam arripuisse, ut illius suae factionis suarumque simul ipsius virtutum atque laborum monumentum quoddam poneret. Quae coniectura cum per se summam probabilitatem habet, tum vero nullam dubitationem relinquit, si reputamus, qua ratione et quanta cum admiratione orator illas virtutes cum omnino in maioribus, tum in illis popularibus suis praedicet atque ornet. Nam ut a laudibus horum initium capiamus, orator eas § 61 exorditur eadem appellatione ἐκεῖνοι οἱ ἄνδρες, qua cum animi quodam ardore populi duces illos proditione interemptos vocat 13, 47, 92, 93, 94, 95 bis. Verba vero eius initii § 61 πάντας πολεμίους κεκτημένοι εἰς τὸν Πειραιᾶ κατῆλθον cum eadem gravitate atque vi dicta sunt ac verba de iisdem hominibus in eadem re 12, 97 πολλῶν ἐναντιουμένων ἤλθετε εἰς τὸν Πειραιᾶ. Sed in capite huius praeconii orator tamquam quoddam dictum proprium ac symbolum illorum virorum posuit sententiam, qua simul quasi suas ipsius vitae rationes studiaque videtur esse professus: § 61 φεύγοντες τὴν δουλείαν καὶ περὶ τοῦ δικαίου μαχόμενοι καὶ ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας στασιάσαντες. Eaedem fere virtutes, ad quas legum observatio accedit, laudantur etiam in antiquissimis Atheniensibus § 17—19. Cum his in epitaphio laudibus comparari possunt verba, quae ad eosdem illos populares spectant, 28, 13 ὅσοι μὲν ἐλευθερίας καὶ τοῦ δικαίου ἐπιθυμοῦντες καὶ τοὺς νόμους ἰσχύειν βουλόμενοι etc. Atque quam arte hae virtutes imperio populari contineri existimandae sint, elucet ex contrario hoc loco continuo sequente. Sed ut nunc singulatim de his similibusque rebus dicamus, quam acerbus sit orator dominationis contemptor, quam ardens libertatis laudator, cognosci potest ex iis, quae de maioribus praedicat § 18 ἐκβαλόντες τὰς — δυναστείας δημοκρατίαν κατεστήσαντο ἡγούμενοι τὴν πάντων ἐλευθερίαν ὁμόνοιαν εἶναι μεγίστην. Omnia fere huius sententiae elementa his locis reperimus: 36, 6 τοὺς δὲ τυράννους ἐξελάσαντες κοινὴν ἅπασι τὴν ἐλευθερίαν κατέστησαν, 25, 23 ἡγεῖσθαι δημοτικωτάτους, οἵτινες ὁμονοεῖν ὑμᾶς βουλόμενοι, cf. 18, 17. Porro eodem illo loco 25, 23 orator putat popularis ingenii

esse iuraiuranda et pacta servare, quippe quae et civitatis salus sit praestantissima et adversariorum ultio maxima, ibidem vero 28 has res Piraeensibus vindicans popularis imperii φυλακὴν appellat. At § 62 illa iuraiuranda pactaque simili translatione eorundem Piraeensium συμμάχους dicit. Cum autem Atheniensium populi potestas nonnihil imperio maritimo foederisque sociorum principatu contineretur, orator habebat, cur huic rei magnum pondus ac momentum attribueret. Atque et § 45 et 33, 5 praedicatur, quantum imperium maritimum valeat ad summam rerum adversus Persarum regem obtinendam. Pariter sociorum salus et Atheniensium potentia populique imperium inter se connexa cogitantur § 56. 34, 4. cf. 14, 34. In Atheniensium rebus gestis laudandis orator maxime praedicat, quod pro et prae ceteris Graecis omnibus libertatem defenderint atque recuperaverint: § 20 μόνοι γὰρ ὑπὲρ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος — διεκινδύνευσαν, § 42 κίνδυνος ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας, 34, 11 καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων ἐλευθερίας Ἑλλήνων διεκινδύνευον. Porro orator 33, 6 auditores suos iubet τοὺς προγόνους μιμεῖσθαι, οἳ — κοινὴν ἅπασι τὴν ἐλευθερίαν κατέστησαν, idque iussum quasi a popularibus illis fieri facit, cum de iis paulo ornatius dicit § 61 ἀρετὴν τῶν προγόνων μιμησάμενοι ταῖς αὑτῶν ψυχαῖς τὴν πόλιν καὶ τοῖς ἄλλοις κτησάμενοι. Sed cum altero prioris illius sententiae membro verbis quidem magis congruit rursus § 44 κοινὴν τὴν ἐλευθερίαν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐκτήσαντο. Contra de illis patriae liberatoribus 31, 32, praedicantur κίνδυνοι et ἀγῶνες, qui omnino ad Athenienses de liberanda Graecia referuntur § 55. Iidem hi § 18 perhibentur communicavisse τὰς ἐκ τῶν κινδύνων ἐλπίδας, quippe quod etiam dicatur 34,9 ὁ κίνδυνος ἔχει τὰς ἐλπίδας. Rursus quemadmodum iungitur § 58 ἡ δύναμις ἦν σωτηρία, sic legimus 12, 14 παράσχου τὴν δύναμιν εἰς τὴν σωτηρίαν et 27, 6 τῇ δ. ἐσώθησαν. Quo autem turpius videtur esse oratori maioribus etiam pro ceterorum Graecorum libertate periclitatis de sua ipsius non audere debellare 34, 11, eo decorius ei videatur necesse est non solum de sua salute periclitari,

verum etiam pro hostium libertate mori § 68. Neque minus amor libertatis indicatur caritate patrii soli. Huc spectant antitheta optionem inter patriam et peregrinam terram eligendam exprimentia § 62. 14, 38. 31, 9. Denique de observatione et verecundia legum quid maiorem vim auctoritatemque ad nostram sententiam afferre potest his? § 25 μᾶλλον τοὺς παρ' αὑτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι ἢ τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους κίνδυνον φοβούμενοι (3, 2 κ. φ.), 14, 4 μᾶλλον ἐφοβεῖσθε τοὺς τῆς πόλεως νόμους ἢ τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους κίνδυνον. Ac ne quis forte hic potissimum de aliena mutuatione cogitet, elementis fere huius sententiae 14, 9 dissociatis haec cogitandi ratio vel maxime Lysiae ut propria attribuenda videtur: τοὺς πολεμίους ἔδεισε — τῶν νόμων οὐκ ἐφρόντισεν — οὐδὲν αὐτῷ τῶν κινδύνων ἐμέλησεν.

Populares, si nunc haec quaerimus, hostibus victis rem publicam primum magis in universum atque in exteriorem partem auxerunt. Atque ea, quae hic in censum veniunt, momenta plus minus cognata sententia et forma iterum ac saepius reperiuntur: § 63 μεγάλην μὲν ἀντὶ μικρᾶς ἀπέδειξαν τὴν πόλιν, ὁμονοοῦσαν δ' ἀντὶ στασιαζούσης ἀπέφηναν, τείχη δ'ἀντὶ τῶν καθῃρημένων νέα ἀνέστησαν, 13, 9 ὥστε μήτε τῶν τειχῶν διελεῖν μήτε τὴν πόλιν ἐλαττῶσαι μηδέν, 12, 99 ὑπέρ τε τῆς πόλεως, ἣν μικρὰν ἐποίησαν, ὑπέρ τε τῶν νεωρίων, ἃ καθεῖλον. De illis autem urbis ipsius auctibus conferatur 25, 20 καὶ ὁμόνοιαν πλείστην ποιήσετε καὶ ἡ πόλις ἔσται μεγίστη. Concors denique popularium animus discordia opposita praeterea laudatur 18, 17, 18, discors triginta virorum vituperatur 12, 55. Nec minus quae orator praeterea de patria sua amplificanda profert, cum illi epitaphii loco similia sunt, tum inter se ipsa congruunt: § 55 ἐλευθέραν μὲν ἐποίησαν τὴν Ἑλλάδα, μεγίστην δ'ἀπέδειξαν τὴν ἑαυτῶν πατρίδα, 28, 14 ὡς μεγάλην καὶ ἐλευθέραν τὴν πόλιν ποιήσωσιν, 25, 32 μικρὰν εἶναι τὴν πόλιν-ἢ-μεγάλην καὶ ἐλευθέραν. Quid vero significantius Lysiae ingenium declarare potest quam haec sententia panegyrica? § 68 ἐτόλμησαν γὰρ μεγάλην ποιοῦντες τὴν Ἑλλάδα - ὑπὲρ τῆς - ἐλευθερίας ἀποθνήσκειν, 18, 24 οἱ μὲν

-μεγάλην τὴν πόλιν ποιοῦντες ἐν τῷ πολέμῳ τεθνᾶσιν, οἱ δὲ ὑπὲρ τῆς-ἐλευθερίας κώνειον πιόντες. Iam vero quae orator de temperantia et abstinentia dicit, qua populares urbe recepta in cives urbanae factionis usi sint, praeclarissime inter se congruunt adeoque sibi respondent, ut paene quae in ceteris orationibus passim inveniuntur, ea quasi disiecta membra esse videantur illorum, quae in epitaphio de hac re scripta sunt.

§ 64 οὐκ ἐπὶ τιμωρίαν τῶν ἐχθρῶν, ἀλλ'ἐπὶ σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐτράποντο	18, 18 εἰς ὁμόνοιαν εὔχεσθε καταστῆναι τὴν πόλιν μᾶλλον ἢ ἐπὶ τιμωρίαν-τραπόμενοι,
καὶ οὔτ' ἐλαττοῦσθαι δυνάμενοι	12, 53 κρείττους ὄντες, cf. 26, 19.
οὔτε πλέον ἔχειν δεόμενοι	12, 92 τὸ ἴσον ἔχετε (sc. οἱ ἐν ἄστει),
τῆς μὲν αὐτῶν ἐλευθερίας καὶ τοῖς βουλομένοις δουλεύειν μετέδοσαν,	14, 34 πλῆθος-τῶν δὲ πολιτῶν καὶ τοὺς βουλομένους δουλεύειν ἠλευθέρωσεν,
τῆς δ' ἐκείνων δουλείας αὐτοὶ μετέχειν οὐκ ἠξίωσαν.	26, 2 οὐδὲ τῆς δουλείας ὑμῖν μεταδοῦναι ἠξίωσαν, ὑμεῖς δὲ-τῆς ἐλευθερίας αὐτοῖς-μετέδοτε.

Si cum primo illo epitaphii antitheto componimus § 16 τήν θ' ἑαυτῶν σωτηρίαν καὶ τὴν τῶν ἐχθρῶν τιμωρίαν, alterius harum iunctionum omnia ipsissima verba, alterius etiam structuram, collocationem concentumque verborum probare possumus uno exemplo 25, 23, καὶ τῆς πόλεως-σωτηρίαν καὶ τῶν ἐχθρῶν-τιμωρίαν. Neque vero postremi illius in epitaphio antitheti genus contentionis alibi apud Lysiam non invenitur. Nam ut hoc loco orator populares ceteris civibus libertatem, sic 34, 5 eosdem iisdem agrum concedentes facit hac verborum structura usus: οὓς ὁ δῆμος καταγαγὼν ὑμῖν μὲν τὴν ὑμετέραν ἀπέδωκεν, αὐτὸς δὲ ταύτης οὐκ ἐτόλμησε μετασχεῖν. Porro perinde ac tribus illis locis condicio factionis urbanae servitus habetur et appellatur etiam § 61. 12, 93, 94. 14, 39, 29, 19. Neque hoc mirum

videtur. Nam ut longius pergamus, Lysias in re publica gerenda omnino nullum alium statum agnoscit nisi aut plenam aequabilitatem aut servitutem vel dominationem. Hoc elucet ex antithetis, quae ceterum quoque satis notabilia sunt, velut § 68 νικήσαντες μὲν γὰρ ἐκείνους τῶν αὐτῶν ἠξίουν, δυστυχήσαντες δὲ βέβαιον τὴν δουλείαν τοῖς ἐν Πελοποννήσῳ κατέλιπον, 12, 93 ἡττηθέντες μὲν νικήσασι τὸ ἴσον ἔχετε, νικήσαντες δ' ἂν τούτοις ἐδουλεύετε. Et simillimum quiddam est 12, 35 (δυστυχήσαντες δέ). At illa ipsa oppositio δουλεύειν-τὸ ἴσον ἔχειν invenitur rursus § 56, cum Isocrates quidem videlicet hiatus evitandi causa non ponat nisi articulo omisso ἴσον ἔχειν 7, 69. 12, 179. 14, 20. 18, 23. Item, ut id hoc loco absolvamus, in eiusmodi antithetis eadem verba superandi et succumbendi inter se variant. Nam etiam illud ἡττηθέντες μὲν-νικήσαντες δὲ rursus invenitur § 14, cf. 34, 8. (§ 38. 12, 36). At apud alios imprimisque apud Isocratem in hac re paene non invenies nisi sexcenties sane illud lectius κατορθώσας-διαμαρτών.

Deinde, ut ab alio principio exordiar dicere, iustitiae aequitatisque species ac notio tamquam filum quoddam intextum per Lysiae orationes trahitur dilucideque in epitaphio agnoscitur. Ac praestantissimum iustitiae munus et officium his verbis videtur expressum: § 19 τοὺς ἀγαθοὺς τιμῶντες καὶ τοὺς κακοὺς κολάζοντες, 31, 30 τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας-τιμᾶτε καὶ τοὺς κακοὺς ἀτιμάζετε, cf. ib. 26, deinde 29 ἐτιμήσατε-μὴ κολάσετε. Licet autem sequens sententia paulum quaesita atque verbis dilatata esse videatur, tamen singula quaeque eius elementa exemplis satis probari possunt: § 14 τοὺς ἀδικουμένους ἐλεοῦντες, τοὺς δ' ὑβρίζοντας μισοῦντες, καὶ τοὺς μὲν κωλύειν ἐπιχειροῦντες, τοῖς δ' ἐπικουρεῖν ἀξιοῦντες, 28, 13 τοῦ δικαίου ἐπιθυμοῦντες-καὶ τοὺς ἀδικοῦντας μισοῦντες, 33, 2 (8) τοὺς ὑβρίζοντας ἐκώλυσεν, 3, 18 ὡς ἀδικουμένοις ἐπικουρούντων. Sed praecique signum iustitiae dicitur atque praedicatur τοῖς ἀδικουμένοις βοηθεῖν, quod est § 14. § 67. 34,10. In hac re § 22 προθύμως τοῖς ἀδικουμένοις ἥξουσι βοηθήσοντες concinne quasi reficitur iunctionibus 14, 22 πρ. τ. ἀδικοῦσι β., 18, 25

πρ. β., 12, 85 ἡ. β. Illa autem iniuria affectis opitulandi ratio confirmatur ibidem 34, 10 τὸ δίκαιον μετὰ τῶν ἀ. ἔσεσθαι, in qua re posita est dictio translatioque § 10 τὸ δίκαιον ἔχοντες σύμμαχον. De aequabili vel inaequabili bonorum fruendorum et malorum ferendorum inter se compensatione duae sententiae binis verbis sibi respondentibus quasi in unam coniunctae sunt: § 76 τῆς μὲν τούτων ἀρετῆς τὸ ἴσον τοῖς ἄλλοις ἀπέλαυσαν, ἀποθανόντων δὲ μόνοι τῆς δυστυχίας μετέχουσιν, § 43 εὐτυχίαν ὁμονοοῦσαν τοῖς κινδύνοις ἐκτήσαντο, 18, 19 νυνὶ τῶν τῆς πόλεως εὐτυχιῶν ἀπολαύοντες, ἀλλ' οὐ πρότερον τῶν ὑμετέρων κινδύνων μετέχοντες. Ex hac autem ratione exoritur officium eos, qui de populo aliqua re bene meriti sint, merito praemio remunerandi, praesertim si sunt peregrini vel inquilini, quippe quorum in numero Lysias fuerit ipse: § 66 τῷ πλήθει βοηθήσαντες (sc. ξένοι) -ἀνθ' ὧν ἡ πόλις ἔδωκεν ἔχειν αὐτοῖς-τὰς αὐτὰς τιμὰς τοῖς ἀστοῖς, 31, 29 τοὺς μετοίκους μέν, ὅτι-ἐβοήθησαν τῷ δήμῳ, ἐτιμήσατε ἀξίως τῆς πόλεως. At dicendi quidem ratione huc etiam propius accedunt ea, quae de factione urbana dicta sunt 26, 20 ἀντὶ τούτων αὐτοὺς ὁ δῆμος (ib. 17 ἡ πόλις) ταῖς μεγίσταις τιμαῖς τετίμηκεν, cf. 24, 22 μεταλαβεῖν ἔδωκεν. Pariter iidem illi populares § 66 ab omnibus hominibus beati praedicari narrantur διὰ τοὺς ἐν Πειραιεῖ κινδύνους. Verum 25, 33 quidam, quamcumque velint, licentiam sibi assumere dicuntur διὰ τοὺς τῶν ἐκ Πειραιῶς κινδύνους. Omnino virtus oratore iudice tanti aestimanda est, ut eius gratia tam amici honore § 15, quam inimici poena afficiantur 12, 36, 60. Alterum iustitiae quasi munus positum esse dicam in illo capite Graecorum philosophiae moralis, ut suum cuique tribuatur. Quae simplex notio apud Lysiam plerumque in formam antitheti redigitur atque ita effertur, ut contraria vel mutua quaedam ratio inter suas cuiusque et aliorum res intercedat: § 6 τῆς ἀλλοτρίας ἀδίκως ἐπιθυμήσασαι τὴν αὐτῶν δικαίως ἀπώλεσαν, 33, 6 τῆς ἀλλοτρίας ἐπιθυμοῦντας τῆς σφετέρας ἐστερῆσθαι, una cum quibus verbis illud epitaphii mirum in modum supplet similis generis sententia fr. 16, 2 oppositione ἀδίκως-δικαίως.

Ipsum contrarium eorum, quae praecedunt, his antithetis exprimitur: § 56 οὐκέτι τῶν ἀλλοτρίων ἐπεθύμει, ἀλλ' ἐδίδου τῶν ἑαυτοῦ, 25, 17 - μὲν μὴ ἐπιθυμεῖν τῶν ἀλλοτρίων, - δὲ τὰ ὄντα προθύμως ἀναλίσκειν. At Isocratis in hac re habet plerumque τοῖς ἀλλ. ἐπιβουλεύειν, velut 15, 24, 198, 230. 21, 15. 18, 63. Ac quam frequenter et varie orator hac vel plus minus simili dicendi ratione praeterea usus sit, elucet ex locis his: 18, 17. 19, 33. 21, 11, 15. 24, 19. 25, 18. 27, 10. 30, 26. Er. 234a. Ad extremum haec consideratio cumuletur hoc cogitandi necessitudinis insigni exemplo: § 21 οὐκ ἀγαπῶν τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς, ἀλλ' ἐλπίζων καὶ τὴν Εὐρώπην δουλώσεσθαι, 34, 8 τούτους οὐ καταδουλώσεσθαί γε - σφᾶς αὐτοὺς τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν ἀποστερῆσαι.

Si nunc quaerimus, quibus maxime causis et rationibus apud Lysiam homines ad agendum impellantur atque ducantur, quibus rebus facta sua excusent aut purgent, in diversitate generis dicendi eadem momenta reperiuntur in epitaphio atque in ceteris orationibus. Atque cum impulsus fundamentum cuiusvis actionis sit, ante omnia refert, utrum quis extrinsecus necessitate coactus, an sua sponte et voluntate agat. In hac re ad se proxime accedunt § 61 et 12, 70, cf. 13, 19. 18, 2. Er. 231a. Quod autem ad res ipsas attinet, non tam mirum esse debet, quod pariter facta quam quod similiter dicta utrubique invenimus, velut: § 14 οὐ προτέρας ἔχθρας ὑπαρχούσης οὐδὲ κέρδους προκειμένου πλὴν δόξης ἀγαθῆς, 1, 4 οὔτε ἔχθρα-ἦν-οὔτε ἄλλου κέρδους οὐδενὸς πλὴν τῆς-τιμωρίας, cf. 7, 20. 24, 2. Accedat 18, 5 οὐκ ἀπελαυνόμενος - οὐδ' ἰδίας ἔχθρας ὑπαρχούσης. Cum hoc rursus perinde atque inter se tam re quam structura conferri possunt sententiae § 8 οὐδεμιᾶς διαφορᾶς πρότερον ὑπαρχούσης οὐδὲ - χαριζόμενοι, 14, 2 καὶ πρότερον πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῖν διαφορᾶς ὑπαρχούσης καὶ - τοῦτον ἐχθρὸν ἡγούμενος καὶ - ὑπ' αὐτοῦ πεπονθὼς κακῶς, cf. 9, 15. 13, 1. Is. 19, 32 διαφ. οὔσης. Illa autem proxima sententia iterum quasi in sequentia prominet, cum nimirum in iudicandis liberis multum referat, et quales

ipsi futuri esse videantur et quales patres eorum fuerint. Sed in hac re duo loci unam epitaphii sententiam quasi reficiunt atque complent: § 13 ἀγαθὸν μὲν οὐδὲν ἰδίᾳ ὑπὸ τοῦ πατρὸς πεπονθότες, ἐκείνους (sc. τ. παῖδας) δ' οὐκ εἰδότες ὁποῖοί τινες ἄνδρες ἔσονται γενόμενοι fr. 78, 2 ἀγαθὰ καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ παθόντες ὑπ' αὐτοῦ (sc. τ. πατρός), 14, 17 ὅτε παῖς ὢν οὔπω δῆλος ἦν ὁποῖός τις ἔσται, διὰ τὰ τοῦ πατρὸς ἁμαρτήματα-παρεδόθη. Tam iis, quae attulimus, quam inter se consentanea videntur: § 8 νομίζοντες ἀνδρῶν ἀγαθῶν εἶναι ζῶντας τοὺς ἐχθροὺς τιμωρήσασθαι, 19, 59 ἡγούμενος εἶναι ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ὠφελεῖν τοὺς φίλους. Sed excelsioris animi est utique virtutem praestare: § 10 οὐ-τιμωρίας ἐπεθύμησαν, ἀλλὰ-τὴν ἑαυτῶν ἀρετὴν ἐπεδείξαντο, Er. 234a οὐδὲ-ἔχθρας πρόφασιν ζητήσουσιν, ἀλλ'-τὴν αὑτῶν ἀρετὴν ἐπιδείξονται. Illa autem verborum iunctio apparet 18, 13 et § 59 sic: ἐπέδειξαν ἐν ταῖς δυστυχίαις τὴν ἑαυτῶν ἀρετήν. Sed ut ad alteram illam agendi causam revertamur, Lysias ipse quidem suoque nomine lucri studium avaritiamque sanequam perhorruisse et contempsisse videtur. Quod quidem maxime ex or. 12 intelligi potest, in qua avaritiam triginta virorum, cui ipse tam graves poenas dederat, summo cum odio perstringit. Itaque non sine aliqua huius rei contemptione se ipsum tum, cum in summo vitae periculo versaretur, dicentem facit ib. 14: χρημάτων δ' ἕνεκα ἀπόλλυμαι. Eadem lucri despicientia atque irrisio videtur inesse in verbis, quibus Atheniensium maioribus pro Graecia in sua terra tropaea ponentibus Persas opponit: § 25 ὑπὲρ χρημάτων εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἐμβαλόντων. Simili autem modo orator quaestus studium irridet ludibrii amplificandi causa χρήματα (οὐσίαν) vel hominibus vel rebus quibusdam opponens 12, 7. 28, 16. 29, 11, 12. 31, 6. 32, 17. fr. 84. Quod si denique locum § 33 legimus, nonne ibi Lysiae ipsius verum ingenium atque fortunam expressa videre videmur, qui etiam ipse pro libertate atque dignitate patriae et patriam et pecuniam amisisset?

Ut rursus aliud quod principium rei explicandae consequamur, quid Lysias de universa vita rebusque fortunae senserit

atque elocutus sit, nunc strictim carptimque dicere liceat. Ac § 72 orator liberos occisorum felices praedicat, quod iuniores sint, quam ut sciant, οἵων πατέρων ἐστέρηνται. Idem 13, 62 apud iudices incipit: demonstrare volo, οἵων ἀνδρῶν ἀπεστέρησθε. Parentes vero mortuorum eorumque fortunam commiseratur atque complorat pariter ac 7, 41 in simili occasione rationes solitudinis et inopiae memorans. Sed haec verbis quoque delectant: § 73 ἐν δὲ τῷ γήρᾳ ἀδυνάτους μὲν εἶναι τῷ σώματι, πασῶν δ'ἀπεστερημένους τῶν ἐλπίδων ἀφίλους καὶ ἀπόρους γεγονέναι, 31, 12 οὔτε τῷ σώματ ἀδύνατος — οὔτε τῇ οὐσίᾳ ἄπορος, 12, 70 πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερηθήσεσθε, cf. 31, 11. 24, 16 et 31, 15. 24, 4. Sed hic rursus componantur § 53 et 10, 29: τοῖς (μὲν) σώματι δύνασθαι — ταῖς δὲ ψυχαῖς. Is. 16, 33 ἀῤῥωστότερος τ. σ. Neque vero mors suorumque orbitas ac solitudo extremum videtur esse malorum. Or. quidem 21, 24 causae suae defensor nihil terribile se existimasse praedicat, si pro patria mortuus suos patre orbatos relinqueret, sed potius si turpiter servatus sibi illisque ignominiam iniungeret. At similiter § 36 Graecis apud Salamina dimicantibus minimum videtur esse malum mortem praesentem intueri, calamitas maxima, quae suos a barbaris victoribus accepturos exspectant. Sed quoniam omne bellum de summis vitae bonis geritur, mortui epitaphii § 79 periclitati esse dicuntur ὑπὲρ μεγίστων καὶ καλλίστων. Aeque 24, 23 claudus ille homo cum granditate quadam comica loquens lamentatur, quod calamitate orbatus sit τῶν καλλίστων καὶ μεγίστων. Xen. Hell. IV, 4, 6 τ. κ. κ. μ. ἀγαθῶν. Ut vero in eodem fere argumento atque inquirendi filo versantes praecepta quaedam atque dicta rerum usu observata persequamur, quasi principium aliarum putanda est sententia, quam orator 25, 23 attulit: praeteritis rebus documentis utentes nos de futuris consulere oportere. Huius igitur dicti quasi quaedam variae lectiones dici possunt sententiae hae: § 6 αὐταῖς οὐκ ἐξεγένετο ἐκ τῶν ἡμαρτημένων μαθούσαις περὶ τῶν λοιπῶν ἄμεινον βουλεύσασθαι (26, 21 α. β.), 25, 21 ἵνα τὰ τῶν ἐχθρῶν ἁμαρτήματα ἄμεινον ὑμᾶς ποιήσῃ

περὶ τῶν ὑμετέρων αὐτῶν βουλεύσασθαι. Cuius sententiae ut alia quaedam elementa verbaque praeteream, afferatur 16, 2 βελτίω εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον. Quid? animos eorum, qui aliis in calamitate subveniunt, orator sic describit: § 10 τὰς ἐν τῷ πολέμῳ τύχας κοινὰς ἁπάντων ἀνθρώπων νομίζοντες, 24, 22 ἡγουμένη κοινὰς εἶναι τὰς τύχας τοῖς ἅπασι καὶ τῶν κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν. Cum his tum inter se similes sunt loci communes: § 77 ὅτι ὁ θάνατος κοινὸς καὶ τοῖς χειρίστοις καὶ τοῖς βελτίστοις, fr. 53 τὸ μὲν γὰρ ἀποθανεῖν-κοινὸν ἅπασιν ἡμῖν ἐστιν. Similiter de aequali iure legum dictum est 1, 2 τὸν χείριστον τῶν αὐτῶν τυγχάνειν τῷ βελτίστῳ. Illam autem communem omnium hominum fortunam regere ac gubernare videtur Lysiae ὁ δαίμων, qui potestatem suam ostendit § 78. 13, 63. 24, 22. Sed praeter hunc fatumque naturalibus causis imbecillitas humana tenetur, eaeque sunt § 78 et 24, 8 καὶ γῆρας καὶ νόσοι. Quoniam vero, ut hanc materiam absolvam atque Horatii verbis utar, ‚mors ultima linea rerum est', de ea orator dicit 12, 37: ‚hanc enim extremam poenam de iis capere possumus'. Quare quid magis consentaneum est quam ex hac simplicissima sententia sequentes locos interpretari? § 7 εἴ τι ἠδίκουν, ἀποθανόντας[1]) δίκην ἔχειν τὴν μεγίστην, i. e. maximam habere poenam, ut etiam magis puniri nec deberent nec possent, 12, 88 τελευτήσαντες τὸν βίον πέρας ἔχουσι τῆς παρὰ τῶν ἐχθρῶν τιμωρίας, i. e. extremum modum habent poenae acceptae ab inimicis, nedum ipsi vel minima poena potuerint vel possint inimicos afficere. Nam cum vocem πέρας, tum vero vocem παρὰ premendas esse puto. Itaque hi loci quasi alter per alterum optime explicari possunt sibique invicem illam suam sententiam fulciunt. Quae si utrubique vera est, haec similitudo contraria concludendi ratione pro argumento haud exili Lysiacae epitaphii originis accipiatur necesse est.

Ut denique rem, quam iam in materia adhuc prolata animadvertere potuimus, per se paululum intueamur, quo-

[1]) Erdmanno in ed. Reiskio auctore contra auctoritatem codicum scribenti ἠδικοῦντο, ἀποθανόντων assentiri non possum.

niam Lysiae dictio in contraria sententiarum structura versari solet, multas notiones binas repeti necesse est. Atque in oppositione duorum verborum affectuum, quamvis haec quidem ratio omnium communis esse videatur, sine dubio certa vestigia ingenii Lysiani discerni possunt: φθονεῖν-ἐλεεῖν § 67. 21, 5. 24, 2; ζηλοῦν-ἐλεεῖν § 73 (§ 72). Er. 233b; πιστεύειν-καταφρονεῖν § 50. 12, 86; αἰσχύνεσθαι-φοβεῖσθαι § 11. 32, 17 (24, 10, 32, 13, 33, 6). Ut autem alia omittamus, velut ἐμβάλλειν-ἀπαντᾶν § 52. 34, 8, etiam minores quasdam notiones sibi opponendi consuetudo in censum vocari potest: § 2. 12, 1, 99. 17, 1; § 51. 10, 4; § 64. Er. 233e; § 67. 32, 17; § 48, 12, 7; § 73. 1, 39; § 56. 12, 93. Haud parva pars antithetorum ita formata est, ut duobus membris sibi paribus non tam contentionis quam congruentiae causa duo synonyma attributa itaque quasi sibi opposita sint. Quo munere funguntur imprimis verba haec: ἐποίησαν-κατέστησαν § 56. § 71. 12, 21 (55). 29, 3. 33, 6; ἐποίησαν-ἀπέδειξαν § 55. 28, 4 fr. 1, 5; ἀπέδειξαν-ἀπέφηναν § 63. 32, 22. Quantopere vero orator in talibus rebus sibi constare soleat, videre licet ex contentione oppositi ζῶντες-ἀποθανόντες § 1. § 69. § 78. 12, 99. 19, 45, 49. 32, 19 fortasse cum ζῶντες-τετελευτηκότες Plat. Menex 236e, 237b, 246d 248b, 249c. Is. 4, 186. Xen. Ages. 11, 8. Dem. Ep. 2. Lycurg. 60. Dein. 2, 20.

Ad compositionem verborum transeuntes primum quasi nihil aliud nisi in materia instituta longius pergentes extremis lineamentis demonstremus silvam rerum epitaphii in singulis etiam, ut ita dicam, pragmatica et rhetorica ratione similiter atque in cetero genere effictam atque verbis elatam esse. Cum autem argumentum orationis demonstrativae atque funebris quadam ratione toto coelo distet a materie orationum iudicialium, neque narratio facinorum maiorum facile cum nuda expositione status causae forensis comparari possit, praesertim si haec non ad vitam publicam sed privatam pertinet, in rerum ipsarum explicatione haud facile maiores ac manifestiores similitudines statuantur. Ii demum epitaphii loci, quibus orator quasi

generalius loquitur, atque omnino altera pars orationis, quippe quae per se generaliorem expositionem contineat, proprie Lysianam dicendi speciem praebent. Sed etiam intra narrationem ipsam ubicumque orator pro sua consuetudine rebus ipsis profligatis brevi quadam contemplatione atque conclusione perorat, expressiora vestigia Lysiae ingenii deprehendimus. Haec igitur quasi quaedam lucidiora puncta Lysianae in epitaphio expositionis primum deinceps inspiciamus incipientes ab exordio. Orator dicere exordiens se excusat, quod imparatus aggrediatur ad laudandos mortuos, ingressus sic: Εἰ μὲν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι-ἐπειδὴ δέ. Simili ingressione et structura patroni causae orationem incipiunt veniam petentes ignoscendi, quod in iudicio prodeant, fr. 88 Εἰ μὲν οἷόν τ' ἦν-ἐπεὶ δέ, 32, 1 Εἰ μὲν-ἐπειδὴ μέντοι. Atque in hac re omnibus hominibus omne tempus non magis sufficit ad facta mortuorum pro dignitate praedicanda, quam 12, 1 accusatori aut vires aut tempus sufficere finguntur ad omnia reorum crimina enarranda. Sed oratori in iudicio accusanti oratione sua tamquam armis quasi cum criminibus adversarii accusati decertandum est. Haec propositio et cogitatio cuiusdam certaminis oratori dicenti contra causam dicendam subeundi, a qua Lysias 31, 3 profectus quasi arma (παρασκευὴν) utriusque adversarii inter se comparat, ad res gestas maiorum laudandas translata et § 2 subiecta est. Huc eodem referri potest verbum παρασκευάσαι et de oratione dicenda § 1 et de rebus gestis § 2 usurpatum. Ceterum de iisdem his hoc loco verbum ἀφθονία eadem significatione dicitur atque 12, 2 de criminibus rei. Contentionem autem inter materiam, quae iam prolata est, et quae praeterea proferri potest, elatam videmus oppositione et verborum πολλὰ-ἱκανὰ et verborum εἰπεῖν-παραλιπεῖν § 2. 7, 9. 31, 34. Quam vero dilucide, ut totum hoc exordium ad eandem illam rationem revocemus atque interpretemur, vultus patroni causarum Lysiae ex universa hac § pelluceat, ex ratione videre licet, qua orator facinora eorum, quos laudaturus est, breviter describit atque notat. Nam non dissimili modo, quod quidem ad sententiarum

structuram ordinemque attinet, item in exordio praenuntiantur crimina rei, qui oratione perstringendus est.

§ 2. τοσαύτην γὰρ ἀφθονίαν παρεσκεύασεν ἡ τούτων ἀρετή- ὥστε — οὔτε γὰρ γῆς ἄπειροι οὔτε θαλάσσης οὐδεμιᾶς, πανταχοῦ δὲ καὶ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις οἱ τὰ αὐτῶν πενθοῦντες κακὰ τὰς τούτων ἀρετὰς ὑμνοῦσιν.[1])

14, 1 s. τοιοῦτον γὰρ πολίτην ἑαυτὸν ἐξ ἀρχῆς παρέσχεν, ὥστε — οὐ γὰρ μικρὰ τὰ ἁμαρτήματα οὐδὲ συγγνώμης ἄξια-ἀλλ' οὕτω πεπραγμένα καὶ εἰς τοσοῦτο κακίας ἀφιγμένα, ὥστ' ἐπ' ἐνίοις ὧν οὗτος φιλοτιμεῖται τοὺς ἐχθροὺς αἰσχύνεσθαι.

In primo capite res ab Amazonibus gestae concluduntur descriptione miseri earum exitus, quae gravitatem ne dicam dolorem quendam exprimit. Totus hic locus admodum memoriam suscitat gravis illius perorationis de facinoribus Theramenis. Sed haec similitudo in verbis ipsis culmen habet: § 6 αὐτοῦ γὰρ ἀποθανοῦσαι καὶ δοῦσαι δίκην τῆς ἀνοίας, 12, 78 οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανόντος Θ., ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας καὶ - δίκην δόντος. Utraque harum sententiarum singulariter in suo genere videtur esse elata, atque si Rauchensteinius illum alterum locum terribile appellavit elogium Theramenis sepulcro inscriptum, haec epitaphii sententia elogium vere miserabile dici potest Amazonibus in sepulcro scriptum. Quippe enim illa verborum iunctio grave quiddam habet nimiumque quantum ad amplificandum valet, cf. 28, 1 πολλάκις ἀποθανὼν δοῦναι δίκην ἀξίαν. Ut autem facta hominum quam fortissime notet atque illustret orator, quo ingenii est acumine, magna cum dicendi sollertia et utilitate comparatione utitur cum personis vel rebus, ad quas aliquid contrarium pertinet, velut fere 12, 36, 63, 81. 28, 14. 30, 28. 31, 29. Multae quidem sane talium rerum sunt acerbae irrisionis efficiendae. At si comparationis § 16 sententiam spectas ipsam, nonne eam 14, 18 quasi disiectam atque in triplicem quandam collationem

[1]) Simonides, Pug. ap. Artem. v. 3 (Bergk, Poet. lyr. Gr. III p. 383): ὁ δ' οἶκτος ἔπαινος.

argumentationemque dilatatam esse animadvertis? Insignia enim comparandi momenta utrubique his verbis elata sunt: § 16 εὐτυχέστεροι ἐγένοντο — καίπερ ὢν ἀγαθῶν πολλῶν αἴτιος ἅπασιν ἀνθρώποις — ἐχθρὸν ὄντα τιμωρήσασθαι (15, 12 ἑ. ὁ. τ.); 14, 18—20 οὕτως εὐτυχεῖς εἶναι — καίτοι πολλαὶ (sc. ἀρεταὶ) καὶ μεγάλαι καὶ ὑπὲρ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων γεγόνασι — τιμωρούμενοι τοὺς ἐχθρούς. Comparationi similis est argumentatio, qua ex minore aliquid maius vel contra colligitur. Atque hoc modo belli virtus sic § 65 affirmatur ad extollendum, ut 14, 36 ad obtrectandum negatur. Longe aliud quoddam ornamentum dicendi § 45 adhibitum est, quod ad speciem illam simplicitatis Lysianae haud parum affert. Vix enim fieri potuit, quin hic orator salis facetiarumque, quibus ceteras orationes perspergens tam suaviter delectat atque Siculam originem suam naturamque declarat, in epitaphio quoque unum saltem signum daret. Ac genus quoddam ironiae exsistit a foro iudicioque non alienum, si quid per dissimulationem vel per indignationem conceditur concessumque notione universitatis exaggeratur, Velut 10, 21 reus, qui, quod adversarium abiecti clipei insimulavit, ipse ab hoc arguitur patrem suum interfecisse, pietatem suam indignationemque, qua exarsit, eo levat, quod superlatione usus dicit se malle πάσας τὰς ἀσπίδας abiecisse quam in tali fama de patre suo esse. Eodem igitur modo illo epitaphii loco ethos personarum quasi erumpit. Cum enim pugna illa apud Salamina commissa Peloponnesii sui defendendi causa id agitent, ut Isthmum communiant, Athenienses de hac re ira incensi iis suadent, ut ἅπασαν Peloponnesum muro circumdent. Nam si ipsos imperiumque maritimum regi Persarum permiserint, de Graecia actum fore. In amplificatione, ut huc animum intendamus, Lysias quamquam pro sua simplicitate inferior est, tamen exaggerationis genere usus est, quo mirum quam sollerter et utliter res, quas narravit, extollit compluribus verbis binis iuxta compositis eas comprehendens: § 47 δόντες ἔλεγχον τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς καὶ μόνοι καὶ μεθ' ἑτέρων καὶ πεζομαχοῦντες καὶ ναυμαχοῦντες

καὶ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, 12, 78 καὶ τοσούτων καὶ ἑτέρων κακῶν καὶ αἰσχρῶν καὶ πάλαι καὶ νεωστὶ καὶ μικρῶν καὶ μεγάλων αἰτίου γεγενημένου. Ut vero eorum, quae exposuit, naturam breviter describat, nulla particula usus orator sic concludit: § 57 τοσαύτην σωφροσύνην καὶ δέος ἡ τούτων ἀρετὴ πᾶσιν ἀνθρώποις παρεῖχεν. ὧν ἕνεκα δεῖ, 12, 84 τοσοῦτον ἢ ὑμῶν καταπεφρόνηκεν ἢ ἑτέροις πεπίστευκεν. ὧν ἀμφοτέρων ἄξιον cf. 33, 7 ὧν ἕνεκα ἐλπίς. Sed multo frequentius in tali proxima adiunctione est ἀνθ' ὧν § 66. 1, 33. 12, 94, 96. 21, 25. Is. 9, 57 ὑπὲρ ὧν. Haud mediocrem locum in Lysiae expositione tenet figura illa subiectionis, qua ille gravioribus locis praecipueque sub finem dicendi dubitationes sibi ipsi oppositas refellit orationemque incitat atque ornat: § 74. 10, 23. 12, 40. 24, 24. 30, 26, 27. 31, 24, 25. Neque vero haec in epitaphio figura aut per se aut, quod quidem Lysiae maxime proprium est, membrorum aequabilitate et maiore numero tam conspicua videtur esse quam suo quasi vestitu totiusque illius loci hac specie ac forma: πῶς δ' αὐτοὺς χρὴ λῆξαι τῆς λύπης; πότερον - ἀλλὰ (quater)- ὅταν ὁρῶσι τοὺς μὲν-τοὺς δέ, 28, 2 πῶς αὐτοῖς χρὴ συγγνώμην ἔχειν, ὅταν ὁρᾶτε τὰς μὲν-τούτους δέ. Tum vero eodem illo loco oratio continuatur gravissima verborum adiunctione, qua quasi sic demum vera responsio ad ea, quae praecedunt, inchoatur: § 75 μόνην δ' ἄν μοι δοκοῦμεν - ἀποδοῦναι χάριν, et haec ipsa ratio locum habet post subiectionem 12, 40 πᾶν δ' ἄν μοι δοκεῖ τολμῆσαι, cf. 12, 2 τοὐναντίον δέ μοι δοκοῦμεν. Jam vero in affectibus commovendis atque commiseratione proferenda Lysias haud mediocris artifex habendus est. Cum autem magis eius proprium sit in iis affectibus versari, quibus animi hominum mitigantur (ἦθος), quam in iis, quibus concitantur (πάθος), oratio ipsa in hac re mitis est ac placide fluit neque facile in interrogationes aut exclamationes se attollit. Quae quidem sententiarum figurae etsi in epitaphio ipso potiorem quendam locum occupare videntur, tamen de hac re cum orationis genere atque natura satis excusentur, tum omnes sanequam exemplis probari

possunt. Ac primum conclusionem quandam ex iis, quae praecedunt, faciunt interrogationes comparativos continentes § 76 τίνας - τίνας - οἵ, 30, 24 τίς - τίς - ὅς. Nescio autem an singulares sint in Lysia exclamationes sic elatae: § 35 ποίαν δὲ γνώμην εἶχον οἱ - ἢ οἱ μέλλοντες ναυμαχήσειν ὑπὲρ τῆς φιλότητος-; οἷς, 13, 46 οὓς ποίαν τινὰ οἴεσθε γνώμην περὶ τούτου ἔχειν ἢ ποίαν-ἀποστερηθέντας διὰ τοῦτον τῶν ἡδίστων; cf. 29, 2, 3, 7. Sed etiam maiores series interrogationum partim disiunctivarum inveniuntur: 21, 8. 31, 31. § 39–40, quo puidem epitaphii loco verbis ἠλέησεν-ἐδάκρυσεν - ἠγάσθη commiseratio in summo discrimine versantium effertur. At paene iisdem attributionis verbis reus se ipse complorat in periculis versatum 21, 24 ἠλέησα - ἐδάκρυσα - ἐμνήσθην. Mirabile vero dictu est, quantopere sequentes loci sibi respondeant. Qui in diversitate rei compositione totoque dicendi colore adeo sibi similes sunt, ut in iis scribendis quasi idem animi affectus commotus, atque, ut ita dicam, eadem ingenii fibra incitata esse videatur. Atque in epitaphio orator mortuorum propinquos commiseratur, in or. 10 accusator ab accusato caedis patris sui insimulatus se ipsum patremque complorat hoc modo:

§ 71 ὥστε ἄξιον - ποθεῖν - ἐλεεῖν -	10, 26 s. μὴ τοίνυν ἐλεεῖτε - συγγνώμην ἔχετε.
τίς γὰρ αὐτοῖς ἔτι ἡδονὴ καταλείπεται τοιούτων ἀνδρῶν θαπτομένων, οἳ πάντα - describitur orbitas propinquorum quatuor membris -	τίς γὰρ ἂν ἐμοὶ μείζων ταύτης γένοιτο συμφορὰ περὶ τοιούτου πατρὸς ἢ οὕτως αἰσχρὰς αἰτίας ἀκηκοότι, ὃς πολλάκις - describuntur virtutes patris quinque membris -
- ζηλῶ - οἰκτείρω -	ἄρ' ἄξιον ὀργισθῆναι - βοηθῆσαι,
τί γὰρ ἂν τούτων ἀνιαρότερον γένοιτο ἢ τεκεῖν μὲν καὶ θρέψαι τοὺς αὐτων, ἐν δὲ τῷ γήρᾳ ἀδυνάτους - εἶναι — —	τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτο αὐτῷ ἢ τεθνάναι μὲν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, αἰτίαν δ' ἔχειν ὑπὸ τῶν παίδων; — —
ὅσῳ γὰρ ἄνδρες ἀμείνους ἦσαν, τοσούτῳ τοῖς καταλειπομένοις τὸ πένθος μεῖζον.	ὅσῳ μείζους εἰσὶ καὶ (?) νεανίαι τὰς ὄψεις, τοσούτῳ μᾶλλον ὀργῆς ἄξιοί εἰσιν.

Cf. 25, 23 οὐδὲν γὰρ ἂν αὐτοῖς χαλεπώτερον τούτων ἢ - μὲν - δέ, 7, 39 ὅσῳ γὰρ - τοσούτῳ, cf. 34, 8.

Peroratio epitaphii incipitur transitionis formula hoc ipso praecipue orationis loco apud Lysiam usitatissima. Nam praeterea usurpata est 7, 42. 10, 31. 12, 37, (61). 16, 9. 22, 22. Sed hoc minus mihi mirum videtur quam quod continuo simili sententiarum ordine eademque verborum figura pergitur atque pari loco in or. 24: § 77 Ἀλλὰ γὰρ οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ τοιαῦτ' ὀλοφύρεσθαι. οὐ γὰρ ἐλανθάνομεν ἡμᾶς αὐτοὺς ὄντες θνητοί. ὥστε τί δεῖ - ἄχθεσθαι; 24, 21 Ἀλλὰ γὰρ οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ-με-ἐνοχλεῖν-εἰ γὰρ ὑπὲρ τῶν μεγίστων εἴρηκα, τί δεῖ - σπουδάζειν; Hoc igitur modo consolatione instituta atque maiore facultate et copia liberius dicendi recuperata orator quasi denuo videtur ostendere velle, quid in verborum consonantia cultuque pigmentorum praestare possit. Neque vero hoc a Lysia eiusque ratione omnino alienum est. In 18 quidem oratione pro Niciae cognatis scripta, cui hic orator sive gravitate causae commotus sive vetere quodam studio illius ducis ductus demonstrativum quendam sonum addidit, item in epilogo in maiorum virtutibus laudandis atque appellandis pro rata parte aliquantum assurgit similibusque figurarum ornamentis dictionem distinguit. In utraque vero oratione pro rei natura peroratio concluditur polysyndeto, quod utique non possumus facere quin exscribamus: § 81 ἐγὼ μὲν οὖν αὐτοὺς καὶ μακαρίζω τοῦ θανάτου καὶ ζηλῶ καὶ - οἶμαι, 18, 27 ἐγὼ μὲν οὖν καὶ δέομαι καὶ ἀντιβολῶ καὶ ἱκετεύω καὶ - ἀξιῶ. Neque illud ἐγὼ μὲν οὖν hoc quidem utriusque orationis loco forte fortuna videtur esse positum. Usurpatur enim eadem fere ratione in epilogo 1, 47. 14, 46. 15, 12. 18, 27. 21, 22. 28, 16. 29, 14. Er. 234c.

Ut iam magis generatim de compositione dicamus atque nudam periodorum structuram sequamur, non alienum videtur esse primum inquirere, quibus iunctionibus atque ingressionibus in sententiis struendis iungendisque Lysias in epitaphio usus sit. Non quo non una alterave earum etiam apud alios scriptores inveniatur, sed omnes in summa

consideratae atque ad rationem frequentiae perpensatae utique proprietatem quandam oratoris declarare possunt, quoniam in hac potissimum re sibi quisque maxime constare videtur. Atque ad graviorem quandam vel generaliorem rem transitum faciunt ingressiones: ἐκεῖνος μὲν οὖν - οὗτος δὲ § 69. fr. 53, 3; καθ' ἕκαστον μὲν οὖν οὐ ῥᾴδιον § 54, fere compositum ex 32, 6 et 4, 11; ἀλλὰ ταῦτα μὲν - δὲ § 61. 19, 8. Compares quaeso porro: ἄξιον δὲ καὶ adiuncto nomine § 66. 18, 26. 31, 26; οὐ δυνάμενοι δὲ τούτων τυχεῖν § 7. 12, 59, cf. fr. 39. fr. 75, 6 οὐ δ. δ. Ex transitione 12, 79 πολλῶν δὲ καὶ μεγάλων κινδύνων ὑπαρξάντων ἄνδρες ἀγαθοὶ γενόμενοι quasi duae illa particula effectae sunt § 72 et § 25. Adiunctio formulae § 27 ὃ δὲ μέγιστον σημεῖον - γὰρ, quotquot eius generis apud Isocratem quoque inveniuntur, optime probatur 19, 25. De particula γάρ, cuius frequentissimus in epitaphio usus in Lysiae dictione logicam illam sententiarum consecutionem per se satis notat, commemoretur usurpatio in duplici quadam confirmatione § 17 et 19, 18 ἥ τε γὰρ (om. ἦν) - γάρ, deinde in narratione ipsa exordienda § 4. 3, 5. 7, 4. 10, 4. 13, 5. 16, 4. 22, 2. 23, 2. Certissime vero Lysiae facies cernitur et agnoscitur his particularum iunctionibus: ὥστε (οὐκ) ἄξιον § 60. § 71. 14, 44. 16, 19. 21, 13. 25, 27. 26, 9. 28, 11, 15, 17; ὥστε προσήκει (ν) § 79. 4, 14. 30, 33. 31, 13. Er. 233 b; ὅμως δ' ἀνάγκη § 81. 22, 7. In oppositione ἐξὸν - οὐκ ἠθέλησε § 28. 4, 10. (25, 14) infinitivus verbi in posteriore membro non magis iterum receptus est quam alioquin apud idem verbum auxiliare 1, 12. 7, 34. 22, 13. 32, 12. fr. 75, 3. Xen. Hell. IV, 3, 19 ἐξὸν - οὐκ ἐποίησε τοῦτο. Hoc loco miror, quomodo Richterus[1]) vocularum iuncturam οὐ μόνον - ἀλλὰ καὶ § 68 non viderit.

Quamquam negari nequit epitaphium in universum et longiore sententiarum continuatione et maiore congruentia aequilitateque membrorum inter ceteras Lysiae orationes eminere, tamen intra singulas periodos in copulatione et structura verborum eadem dicendi lex ratioque comparet

[1]) l. l. p. 33.

neque quidquam occurrit, quod huius oratoris compositioni non sit maxime consentaneum. Ac primum orator, quo melius cogitata et consilia personarum describat, enuntiatis principalibus sententias secundarias adiungere consuevit, quas plerumque participio ἡγούμενος (vel νομίζων) inchoare totamque periodum absolvere solet. Cuius structurae in epitaphio ipso quamvis frequens ne dicam intemperans sit usus, tamen satis probatur: §§ 1, (8), 14, 19, (21), 28, 30. 25, 19, 21, 22, (23), 28, 33. 21, 11, 17, 19, 25. In hac re notentur etiam conclusio ἡγούμενος δὲ — caput enuntiati — νομίζων 22, 2. § 21 et iunctio ἡγησάμενοι κρεῖττον εἶναι § 33. 31, 7. Si nunc rationem membrorum eodem tenore progredientium spectamus, disiunctio praecipue in schola illa Gorgiae adhibita atque primo demonstrativi potissimum generis propria fuisse videtur, cum ne Isocrates quidem, ut ex 4, 80 — 82 et 9, 43—47 elucet, ea abstinuerit. Atque apud Lysiam quidem haec compositio maiorem in modum non admissa est nisi in ipso epitaphio § 61 s., ubi orator illos populares laudans nullum apparatum rhetoricum putat sibi esse repudiandum. Cui quidem loco quamquam ambitu nihil plane par ex ceteris orationibus conferri potest, tamen nihil magis eum illustrat, quam 12, 97, ubi orator eorundem popularium sic in periculis ut in epitaphio in virtutibus describendis ter saltem asyndetum usurpat. Eadem compositione oratio apte incitatur 32, 10 in describendo dolore ac miseria orborum iniuria affectorum neque minus concinne 31, 17 s. in nequitia rei depingenda. Periodorum, quae coniunctione membrorum structae sunt, consideremus primum tripartitas. Ad duo enim membra antitheti particulis μὲν - δὲ iuste formati tertium vocula δὲ adiungitur, quod sententia tum prioribus illis opponitur, tum autem quasi ea concludit et absolvit. Haec tertii membri paulum diversa natura vel in voce incipiente cernitur, velut § 15. § 43. § 63. 7, 19. 9, 14, 25. 12, 43, 59, 69. 19, 36. 32, 20, in qua re duo priora membra etiam anaphoram efficere possunt, velut § 2. 7, 41. 12, 19, 62. 25, 30. 30. 2. In plus tribus membris illa particula iungendis orator magnam varietatem

exhibet. Ac series eius fere, quod modo descripsimus, generis antitheto aliquo adaugetur atque clauditur § 19. 33, 2. Sed quid in hac re insignius esse potest quam continuatio hac plane eadem quoque loco specie ac forma: μὲν-δὲ-δὲ-δὲ-μὲν-δὲ-ὥστε ἄξιον § 59. § 70.[1]) 33, 5. Quae quidem verborum structura propter latitudinem quandam vel maxime generi demonstrativo videtur esse assignanda. Verum intra hanc iunctam compositionem rursus quasi solutior ac disiunctior fit membrorum constructio, si participia attributa promiscue componuntur cum absolutis, velut § 37. 7, 41. Sed ad nostram causam etiam pertinet, quod hoc epitaphii loco eadem verba, εἰδότες - ὁρῶντες - ἀκούοντες, reperiuntur, quae in talibus structuris magis singulatim posita sunt 10, 22. 12, 69. 19, 26. 30, 22; cf. § 32 ἀποροῦντες-εἰδότες cum 9, 21. At illam solutiorem exponendi rationem, qua Lysias graviora rerum momenta ante oculos ponere solet, Isocrates quidem 4, 96 in illa ipsa re § 37 describenda in ceteris rebus nostrum paene ad verbum secutus non recepit. De auctoritate vero descriptionis ipsius, qualis praecipue etiam § 38 est, ut id hoc loco notemus, conferantur Xen. Ages. 2, 4 et huic loco respondens Hell. IV, 3, 2.

Cum quae omnino de compositione epitaphii supra diximus, ea non minimum ad ornatum quoque huius orationis pertineant, neque quidquam eius cognationem cum Gorgiae dicendi genere certius testificetur quam illae, quae ab hoc ipso oratore originem et nomen ducunt, verborum figurae, tum haec in epitaphio ornamenta prae illis Siculorum lenociniis multo magis temperata ac circumscripta sunt, quam quae Lysiae assignare non debeamus. Quid? quod epitaphius in hac quoque re ad ceteras orationes prope accedit multaque certa indicia indolis genuinae habet. Nam ut eas figuras, quae in sola consonantia aut concentu verborum origine diversorum consistunt, omittamus, orator quo maiorem effectum rhetoricum consequatur, contentionem duarum notio-

[1]) Erdmannus sane contra editores ceteros omnes in media illa serie graviter interpungit atque adeo intervallum ponit.

num aliquo modo sibi respondentium iteratione eiusdem cuiusdam verbi acuit atque ornat. Tales repetitiones varii generis, et ad concinnitatem et ad gravitatem comparatae, sunt: § 12. § 17 s. § 21. 1, 6. 7, 16. 10, 13. 12, 5, 27, 31, 36. 14, 9, 38. 16, 7. 24, 18. 28, 16. 30, 5, 23. 31, 12. Er. 234a; cf. § 2 τούτων - οὐ τὰ τούτων (—), 26, 11 τὰ τ. - οὐ τ. Nec magis aut anxie quaesita aut intemperanter usurpata est figura annominationis. Quae quasi ipsa enata est ex illa sermonis perspicuitate, cui quidem Lysias tantopere studet, ut nonnumquam non solum verum loquendi usum, sed etiam quasi veram verborum originem docere videatur. Atque ut figuram etymologicam, cuius idem exemplum § 80 et 26, 20 est, omittamus, annominatione ornatae sunt quae dicuntur tautologiae: § 13 οὐδ' - μετέγνωσαν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν εἶχον γνώμην, 24, 4 δύνασθαι καὶ οὐκ εἶναι τῶν ἀδυνάτων, cf. § 15. 13, 19, 22. Er. 231d. Quid vero in hac re proprietatem dicendi apertius exprimere potest quam haec: § 44 αὐτοὺς παρασχόντες - τῶν κινδύνων μετασχόντες, 18, 19 σφᾶς αὐτοὺς παρέχοντες - τῶν κινδύνων μετέχοντες. Sub nomine denique parecheseos afferatur ἕτεροι - ἀμφότεροι § 2. § 9. 24, 17. 31, 13. 34, 1. (12, 53. 26, 24) et πολῖται - πολέμιοι § 62. 10, 27. 12, 21, 38, 44, 69, 70. 14, 34. Ut hunc locum generali iudicio concludamus, haud scio an ad has tales potissimum verborum figuras referenda sint Dionysii[1]) de Lysia verba: ἰδίαν τινὰ λόγων εὑρηκὼς ἁρμονίαν, ᾗ τὰ ὀνόματα κοσμεῖ καὶ ἡδύνει.

Epitaphii sermo quamquam universe speciem quandam magnificentiae praebet atque paulo audacior ac floridior videtur esse quam qui cum simplicitate orationum forensium plane conveniat, in singulis tamen ipso genere verborum translatorum atque luminum veram originem suam satis indicat. Atque ex communi Graecorum sensu orator § 17 terram patriam sic appellat incolarum μητέρα, ut 13, 91 populum asciti civis πατέρα. Item § 64 dicuntur ἀδελφὰ τὰ βουλεύματα τ. ἔργοις alterius, sicut fr. 12 τὰ ἔργα συγγε-

[1]) De Lys. 3.

νέστερα factis alterius. Neque minus § 60 κείρασθαι attributum τῇ Ἑλλάδι fultum videtur 33, 7 καιομένην τ. Ἑ. Similis fictionis personae dictionisque § 1 ἡ πόλις προνοουμένη - ἡγουμένη vel ipsissima verba probantur 24, 22 s. Quid vero? hospites, qui sine studio sui commodi Atheniensibus auxilium tulerunt, § 66 perhibentur πατρίδα τὴν ἀρετὴν ἡγησάμενοι. At 31, 6 cives mali atque nimium lucro servientes communis rei publicae salutis proditores iudicantur dicti non civitatem, sed τὴν οὐσίαν πατρίδα ἡγεῖσθαι. Denique non magis vulgo usitata quam Lysiae quidem propria videtur esse circumlocutio ἔστησαν τρόπαια (τῶν πολεμίων) § 25. § 53. § 63. 18, 3. 34, 10, item varie translatum nomen et locutio ἆθλα λαβεῖν § 10. § 35. 1, 47. 29, 11. 31, 32; cf. § 65 ἔργοις ἀπελογήσαντο cum 22, 3 et 14, 29. Quod cum in epitaphio floridior dictio, ubicumque ea distinctus est, a cetero genere certe non nimium differt, tum vero communis eius sermonis usus sanequam admirabiliter cum illo congruit. Sed quoniam progrediente quaestione haec potissimum res satis superque eluxit, hoc loco perpauca tantum quaedam addantur, velut § 41. 28, 9 ἐπέδειξαν πᾶσιν ἀνθρώποις ὅτι; huic similes dictiones 29, 13. 18, 4 (12, 56) quasi in unam coniunctae sunt § 67, sicut una 34, 5 ἔρημον συμμάχων λαβεῖν dissoluta est in duas § 21 ἐ. σ. et § 31 ἐ. λ.; § 7. 12, 11. 19, 12 ἐδέοντο αὐτῶν δοῦναι; § 23. 28, 16 τῆς σωτηρίας χάριν εἰδέναι; § 62. 3, 9 αἰσχυνόμενος τῇ συμφορᾷ; § 52. 3, 38 ἀπαντήσας - ἐμαχόμην; § 14. 34, 6 μαχομένους ἀποθνήσκειν etc.

Anacoluthis aliisque proprietatibus grammaticis epitaphius, utpote qui e poetica quadam elatione atque impetu emanaverit, haudquaquam caret. Quarum quaedam quamvis offendere videantur, tamen hunc in modum probari possunt, ut paene pro forte fortuna habendum sit, quod talia exempla in ceteris, quae exstant, Lysiae orationibus omnino praeterea inveniuntur. Sed etiamsi id non plane ita esset, quid hae res auctoritati epitaphii obstarent? Nonne potius putandum est quemvis potissimum rhetorem asperiores offensiones grammaticas anxie cauturum fuisse? Quare

tantum abest, ut illae licentiae dicendi hanc orationem suspectam reddant, ut partim magnum mihi momentum ad fidem auctoritatemque eius stabiliendam atque confirmandam afferre videantur. Si igitur hanc fere rationem sequimur, ad granditatem quandam valet ac pertinet haec adiectivi cum adverbio coniunctio: § 20 καὶ μεγάλα καὶ πανταχοῦ (τρόπαια), 33, 4 καὶ μεγάλους καὶ πανταχόθεν (κινδύνους), 14, 19 καὶ μεγάλαι καὶ ὑπὲρ ἁπάντων τ. Ἑλλ. (ἀρεταί). Deinde de genetivi usu proprio componenda videntur et § 8 τοῖς ζῶσιν Ἀργείων, 18, 11 τοῖς ἐλθοῦσι Πελοποννησίων et § 56 ἐδίδου τῶν ἑαυτοῦ, 13, 9 τῶν τειχῶν διελεῖν, cf. Thuc. I, 58, 2. Quamquam omnium communis, tamen notatu non indignus est usus ille participii praesentis subiecti in vicem succedentis: § 29 ἀμφότερα δ' ἦν αὐτοὺς τὰ πείθοντα, Er. 232 c πολλὰ γὰρ αὐτούς ἐστι τὰ λυποῦντα, cf. 1, 16, 19. 3, 15, 46. 4, 4. 12, 49. 13, 87. 19, 57. 25, 6, 22. 27, 4. 29, 1. fr. 10. fr. 53, 1. Pariter usitatum est participium vim enuntiationis condicionalis habens, velut § 36 εὐτυχησάντων - ἤλπιζον, 28, 15 ἐλπὶς - δυστυχήσασιν. Nec minorem in modum epitaphius particeps est licentiae, quam Lysias in congruentia participii sibi sumpsit. Sed cum rationem nominativi absoluti § 48 exemplis plane paribus ex Lysia ipso, nisi forte 12, 7. 13, 51, 85. 25, 31. 27, 11. 32, 23, probare non possimus, quoniam haec res ita ut cum maxime in dubitationem vocatur,[1]) liceat saltem hoc uno quidem loco ad genus historicum idque quidem grandius confugere ibique illum usum demonstrare. Atque pari eademque ratione duo participia particulis μὲν - δὲ iuncta in nominativo absolute posita sunt, quibus in modum appositionis ea, quae praecedunt, explicentur, Thuc. II, 53, IV, 23, 106, V, 70, VII, 70. Eo magis ex oratore ipso confirmatur atque probatur absolutus accusativus § 80 ὡς ἀξίους ὄντας - ταῖς αὐταῖς —, 14, 33 ὡς τῶν αὐτῶν ὄντας ἀξίους, idemque § 19 et 25, 11 ex iunctione ἡγοῦμαι προσήκειν τινὶ aptus; cf. § 3. 14, 16. Porro mutatio subiecti sane paulo

[1]) Cf. Richterus l. l. p. 30 s.

durius pronomine non indicatur § 32. At hoc non minus facile ex nomine prioris enuntiati suppleri potest quam in eadem fere periodi structura 34, 8, cf. 1, 10, 20. Er. 233 d. fr. 25. Minus desideratur pronomen apud genetivum participii, velut § 76 ἀποθανόντων δέ, 19, 4 ἀποθανόντος δέ, cf. § 49. 1, 38. 5, 1. 9, 14. 12, 45, 64. 13, 82. 17, 5. 19, 46. fr. 23. fr. 75, 6. Pronomine ἐκεῖνοι (αὐτῶν) designantur incolae urbis, quae paulo ante dicta est, § 22. § 52. 31, 9 (12, 58). Idem pronomen orator non dubitavit usurpare pro ἑαυτοῦ § 22. 15, 11. 21, 12, nedum id offendat positum pro αὐτοῦ, velut § 68. 12, 17. Descriptio temporalis οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον ad eiusdem periodi proxime praecedens enuntiatum secundarium spectat § 58. 13, 5. In sententiis autem secundariis struendis orator nonnumquam constructionem in priore membro inchoatam neglegens alterum membrum ratione enuntiationis prinpalis format. Velut § 36 in specie structurae ὥστε - μὲν - δὲ prius membrum infinitivo, alterum vero indicativo constructum est. Haec ipsa mutatio constructionis fit apud ὥστε 1, 6. 13, 78. 16, 5, apud μὲν - δὲ 12, 38, quo potissimum exemplo illud epitaphii anacoluthum egregie illustratur, cf. 7, 27. 13, 18, 85. Sed qua ratione omissio verbi finiti § 31 excusari potest?[1]) Quae ut primo obtutu dura videtur, ita accuratius inspecta atque comparata minus offendit facileque probatur. Nam si cum hac sententia anacoluthum 13, 63 conferimus, utroque loco de altera duarum partium agitur, utroque loco plura participia et enuntiata relativa intercedunt, utroque denique his de causis aut ex iis, quae praecedunt, verbum aliquod suppleri aut copula, velut εἰσί, cogitari potest. Qua vero re hunc quaestionis locum melius concludere possumus quam exemplis huius rationis dicendi? § 70 ἐτελεύτησαν-τῇ μὲν γὰρ πατρίδι τὰ τροφεῖ' ἀποδόντες, τοῖς δὲ τρέψασι λύπας καταλιπόντες, 19, 56 λέγω-οὐ γὰρ φιλοτιμίας ἕνεκα, ἀλλὰ τεκμήριον ποιούμενος, cf. Thuc. I, 25, 4.[2])

In collocatione verborum, siquidem haec quoque res in tali quaestione aliquid habet momenti, Lysias in epi-

[1]) Erdmannus inserit διεφθάρησαν.

[2]) Cf. Richterus l. l. p. 32.

taphio quamquam universe videtur esse etiam rectior ac diligentior quam in genere forensi, quippe cui dissolutior quaedam dictio consentanea sit, tamen in quibusdam verborum iunctionibus sibi constat atque propriam et suam loquendi consuetudinem aperte ostendit. Nam primum, ut supra congruentiae causa unam notionem quasi in duo synonyma divisam vidimus, sic aequalitatis gratia duo verba, quae quasi unam duobus membris communem notionem efficiunt, in ea membra distributa sunt, velut § 51 οἱ μὲν ἐμπειρίᾳ τὴν ἀρετήν, οἱ δὲ φύσει κεκτημένοι, 12, 64 πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίου, ἀλλ'οὐ μεγάλων κακῶν γεγενημένου, cf. § 53. 4, 8, 11, 17. 7, 16. 9, 1. 12, 52. 13, 19. 26, 2, 12. 34, 5. Er. 232e. fr, 53, 1. Item ad concinnitatis cuiusdam verborum studium referenda videtur talis collocatio particularum μὲν - δέ: § 19. Er. 232d ὑπὸ - μὲν - ὑπὸ - δέ, cf. 1, 42. 16, 18. 21, 17, 20. 30, 21. 32, 20. Ut autem singula sententiarum membra orator quasi in uno ponat aspectu, haec genera verborum iunctionumque per chiasmum in globulum quendam astringere ac concludere consuevit: § 2 οἱ τὰ αὑτῶν πενθοῦντες κακά, 18, 27 τοῖς τῶν αὑτῶν μετασχοῦσι συμφορῶν, cf. 1, 49. 24, 27. 25, 16. 34, 11. Er. 231b. Omnino participia eaque praecipue verbi γενέσθαι sive verborum soni efficiendi sive numeri servandi causa quavis alia quam proprie grammatica locatione gaudent § 13. § 32. 12, 77. 13, 32, 43, 48, 61. 25, 9. 31, 10. 34, 4. In hac re haec locutio semper sibi constat sic: ἡ γεγενημένη συμφορὰ § 32. 7, 6. 12, 92. 13, 43. 18, 18. 21, 9. 34, 1. Pronomine denique ἅ - πας et, cui attributum est, nomine verbum fere coniunctum circumcluditur § 37. § 61. § 73. 1, 5, 10, 18. 3, 3, 10. 13, 48. 19, 64. 24, 25, 27. 25, 1. 32, 8. Er. 234b. Cf. § 34 οὐ πολλαῖς δ'ὕστερον ἡμέραις, 23, 9 ἡ. - οὐ π. ὑ.

Restat, ut illam, quae inter epitaphium Lysiae et panegyricum Isocratis intercedit, rationem separatim breviter exponamus. Nam cum hae orationes nonnullis locis nimiam verborum inter se similitudinem praebeant, iam pridem a viris doctis necessario et iure positum atque statutum est illum oratorem in panegyrico hunc nostrum in epitaphio excerpsisse. Quae

coniectura eo confirmari videbatur, quod verisimillimum est Isocratem compluribus illius orationis locis, §§ 13, 74, 89, 97, ubi, quod vel alios imitetur vel ab aliis recedat, se excusat, aperte auctorem epitaphii respicere. Sed quoniam haec laudatio funebris omnino de vera origine in dubium vocata est, illa ratio conversa est atque posterior ille qui dicitur auctor epitaphii panegyrici expilationis accusatus. Et profecto, si rationem locorum ipsorum, qui ex una oratione in alteram translati atque intexti sunt, spectamus, in illa praesertim similitudine generis dicendi uterque eodem iure orator tam pro auctore quam imitatore alterius poni posse videtur. Quae cum ita sint, nihilominus postremo tandem Blassius[1]) ipse, quamvis antea adversatus esset, illis panegyrici locis commotus priorem saltem epitaphii aetatem concessit. Quid? si in ipsis quoque verbis desumptis tamen unum saltem quamvis parvum indicium imitationis in panegyrico nativaeque indolis in epitaphio deprehendimus. Orator enim nostrae laudationis, postquam cladis illius ad Aegos flumen Atheniensibus illatae mentionem fecit, hoc modo pergit § 59: ἑτέρων ἡγεμόνων γενομένων ἐνίκησαν μὲν ναυμαχοῦντες. Toti huic loco sic respondet Is. 4, 119: μετὰ γὰρ τὴν ἐν Ἑλλησπόντῳ γενομένην ἀτυχίαν ἑτέρων ἡγεμόνων καταστάντων ἐνίκησαν μὲν οἱ βάρβαροι ναυμαχοῦντες. Isocrates igitur epitaphium exscribens videlicet propter proxime praecedens γενομένην, quippe quod verbum in illa quidem iunctione satis usitatum ac tritum sit, illam Lysiae vocem commutavit, cum e contrario compilator ille qui creditur panegyrici non habiturus fuerit, cur contrariam commutationem faceret neque verba integra reciperet. Huc accedit, quod in altera illa eiusmodi iunctione sicut verbum καταστῆναι magis Isocratis, ita γενέσθαι magis Lysiae quidem videtur esse proprium. Sed hac ipsa re rursus reicimur ad propriam nostram inquirendi rationem, quae posita est in epitaphii Lysiana quidem indole demonstranda. Itaque nunc quasi ambabus his quaestionibus inter se coniunctis

[1]) Die att. Bereds. III 2, p. 339 s.

simul ostendamus epitaphium non modo non panegyrici quidem certe compilationem, sed etiam verum Lysiae foetum esse. Velut illa ipsa, quam modo diximus, Atheniensium cladis mentio in epitaphio his verbis elata est: § 58 ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ-καὶ συμφορᾶς ἐκείνης μεγίστης γενομένης. Si cum hac sententia parem fere illum l. l. panegyrici conferimus atque ab altera parte incipimus, utrum potius putandum est imitatorem illum Isocratis, panegyrici ἀτυχίαν in συμφοράν, an hunc oratorem contra commutavisse? At hic, si epitaphium exscripsit, nihil aliud nisi, ut ex eius quidem or. 12, 99 (5, 62) elucet, suum ipsius atque proprium lectius nomen pro illa clade imposuit, ille, si panegyricum, videlicet Lysiam imitando exprimere voluit. Enimvero cui magis quam huic nostro illa quidem eius cladis appellatio ut sua attribuenda est? Nam est praeter § 59 etiam 12, 43. 16, 4. 21, 9. 31, 8. Illis vero prioribus illius loci verbis, etsi haud ita multo propius accedunt ad 13, 5. 21, 9 quam ad Is. 7, 64. 18, 59 et And. 1, 73, 142. 3, 21, quid similius cogitari potest quam eiusdem rei commemoratio 30, 10 ἀπολομένων τῶν νεῶν? Ac ne illud quidem ἐν Ἑλλησπόντῳ, quod in hac re praeterea 16, 4 et 19, 16 positum est, neglegi debet, cum etiam inveniatur περὶ Ἑ. Is. 5, 62 et 7, 64. Sed hac re iam fere ambitum locorum ab Isocrate in panegyrico ipso imitando expressorum excessimus atque in campum universi huius oratoris sermonis evecti sumus, cuius quidem ratio ad generaliorem tantum illam huius quaestionis partem pertinet. At enim sunt qui epitaphium omnino ex Isocratis verborum usu atque copia conscriptum esse velint. Itaque quo, si nihil aliud, at huic certe opinioni occurramus, hoc quidem loco illa argumentandi ratione recepta in quibusdam etiam, quae fere forte animadvertimus, exiguis quidem, sed partim creberrimis verbis verborumque iunctionibus ostendamus in epitaphio et ceteris Lysiae orationibus ab hac, in orationibus Isocratis ab illa parte duo certa quantulumcumque inter se diversa quaedam idiomata sermonis discerni atque statui posse.

Epitaphius	Lysiae or. iudiciales	Isocratis orationes
§ 1 προνοεῖσθαι	vulgo	vulgo πρόνοιαν ποιεῖσθαι
§ 16 (ἐπίπονον) αὑτῷ καταστήσας τὸν βίον	7, 2	4, 108. 10, 62 καταστήσασθαι αὑ. τ. β.
§ 25. § 49 ἐμβαλεῖν in hostium terram	16, 16. 34, 8	v. εἰσβαλεῖν (ἐμβ. translat.)
§ 9 ἁμαρτεῖν τινος	3, 8. 12, 98	v. διαμαρτεῖν τ. (Thuc. II, 78)
§ 27 ἀκολουθεῖν μετά τινος	v.	v. συνακολουθεῖν τινι
§ 32 τὰ περιεστηκότα πράγματα	13, 93	v. τὰ παρόντα (πρ.) (And. 2, 10)
§ 45 ἡ τῆς θαλάσσης ἀρχή (sic collocatum)	14, 43	v. ἡ ἀρ. (ἡ) τῆς θ. aut ἡ κατὰ τὴν θ. ἀρ. (And. 3, 22)
§ 58 οὐ πολλῷ· χρόνῳ ὕστερον	v.	10, 26. 12, 72 οὐ π. ὑ. (om. χρ.) (Thuc. v.)
§ 13. § 18 ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ	v.	v. κατ' ἐ. τ. χρ. aut περὶ (ἐν) c. pl. num.
§ 66. § 78 τὸν ἅπαντα χρόνον	fere v.	v. ἅπαντα τὸν χρόνον
§ 26 μέλλων, § 39 μ. ἔσεσθαι	utrumque	μ. solum
§ 40 ἁπάντων ἀνθρώπων διενεγκεῖν	24, 11	4, 64. 9, 18. 15, 119 ἁ. δ. (om. ἁ.)

At enim epitaphius rursus etiam quaedam continet, quae Isocratei quidem sermonis memoriam suscitant, in ceteris vero Lysiae orationibus non reperiuntur. At haec sunt quaedam quasi constantia et communia verborum lumina universi floridioris atque demonstrativi generis dicendi, quibus in forensi sermonis usu locus non erat. Quod si minus ita est, tamen eiusmodi dictiones verborumque iuncturae adeo non ex Isocrate videntur esse depromptae, ut de contrario cogitemus. Quid enim? si, ut exemplum afferam, sententiae § 2 et Is. 9, 62 re vera altera ex

altera pendent, videlicet soli observatori hiatus necesse fuit τὰ αὑτῶν κακὰ in τὰς αὑτῶν συμφορὰς commutare ac non contra auctori epitaphii. Pariter explicamus similitudinem nonnullorum Isocratis cum epitaphio locorum eorumque in iis quidem orationibus, quae omnes item certe post eum, quem conicimus ac defendimus, ortum huius nostrae scriptae sunt: § 40, Is. 6, 9; § 31, Is. 6, 100; § 47, Is. 7, 75; § 54, Is. 14, 4; § 6, Is. 14, 25. An putandum est illum potius posteriorem epitaphii scriptorem omnes illas Isocratis orationes memoria tenentem tam sollerter excerpsisse? At si hunc oratorem tam diligenter lectitaverat tamque bene cognitum habebat ille compilator, tum, opinor, necesse erat eum etiam communem atque quasi quotidianum eius sermonis usum melius nosse ac sequi quam supra demonstravimus. Contra nihil obstat, quin pro certo sumamus Isocratem Lysiae epitaphium unum, utpote quem in panegyrico componendo excerpsisset, vel ideo penitus memoria tenentem in ceteris quoque orationibus conscribendis passim aliquid ex eo delibavisse atque in suum usum convertisse, ut ne minimum quidem in cetera loquendi consuetudine moveretur proprietatemque suam amitteret. Accedit, quod huius quoque rei quasi quoddam directum neque minus disertum testimonium proferre possumus quam quae supra de panegyrico ipso composita sunt. Or. enim 6, 100 in pugnatoribus, qui apud Thermopylas dimicaverant, laudandis Isocrates epitaphii § 31, ut diximus, mutuatus haud dubie huius ipsius laudationis auctorem maxime respicit, cum continuo addit: ὥστε τοὺς μετὰ τέχνης ἐγκωμιάζοντας μὴ δύνασθαι τοὺς ἐπαίνους ἐξισῶσαι ταῖς ἐκείνων ἀρεταῖς. Quae verba nonne reddunt confessionem Lysiae ipsius in epitaphio ipso?: § 1 ὁ πᾶς χρόνος οὐχ ἱκανὸς λόγον ἴσον παρασκευάσαι τοῖς τούτων ἔργοις, cf. Is. 4, 13.

Quae cum ita sint, tandem id saltem pro certo atque explorato accipiatur necesse est epitaphium nostrum Isocrati panegyricum scribenti praesto fuisse atque eo, quod sibi vindicat, tempore exortum esse. Quanta autem ex hac re redundet vis auctoritasque ad Lysiacam huius orationis

originem ipsam probandam, quis est qui non intelligat? An verba illa Is. 4, 74 οἱ μάλιστα δυνηθέντες τῶν πολιτῶν εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις πολλάκις εἰρήκασιν, siquidem iis nostri quoque vel etiam, quod quidem ex hoc loco respectu totius illius in panegyrico imitationis haud dubie consequitur, imprimis nostri epitaphii auctor intelligendus est, ad primum quemque mediocrem rhetorem referri possunt? Jam vero si qua qualiacumque indicia apertae ex aliis quoque Lysiae orationibus mutuationis apud Isocratem ostendi possint, nulla iam de hac re restet dubitatio. Et profecto Is. 6, 83 et 8, 43 prope accedunt ad Lys. 34, 11, transitionis formula Is. 19, 4 congruit cum Lys. 13, 4, translatio locutioque Is. 19, 32 petita est ex Lys. fr. 84. Sed si nunc, ut haec omittam, ad cetera illa, a quibus principium quaestionis cepimus, argumenta foris assumpta revertimur, hanc brevem ratiocinationem construere atque ita quasi ex interiore rei parte circulum quendam argumentandi concludere possumus. Si enim aetas saltem epitaphii pro certo stat, illa coniectura eorum, qui, scilicet ut eum suspectum redderent atque labefactarent, putaverunt ludos funebres, utpote quorum in eius laudationis peroratione fiat mentio, belli Corinthiaci temporibus nondum celebratos fuisse, concidit simulque cum ea argumentum, quod Menexeni quoque Platonis auctoritati aut certe aetati videbatur obstare, prorsus collabitur. Si autem nihil est, cur de huius quoque operis vetustate quidem germana dubitemus, illa interior ratio, quae ei cum epitaphio Lysiae esse putatur, magnam probabilitatem assequitur, eaeque orationes sibi invicem traditos suos auctores fulciunt atque tuentur. Qui enim tandem id aliter se habere potest? Etenim vel illo eiusdem scriptoris Phaedri exemplo ad hanc coniecturam opinionemque ducimur. Sed Plato philosophus cum in illo dialogo Lysiam magis ut sophistam sibi visus esset directo petere et debere et posse, ut oratorem in Menexeno eumque suae aetatis sane celeberrimum, ut mihi quidem videtur, aperte et palam in iudicium vocare non ausus est, sed tecte atque tamquam in recessu irrisit. Sed utcumque id est, forte evenit, ut

hic Platonis dialogus in Aristotelis Rhetorica praeter I, 9 simili eademque ratione atque nostra funebris in eodem illo libro III, 14 confirmatus sit, cum uterque locus ad Menex. 235d (vel 236a) spectet. Si igitur, ut prius illud testimonium, quia etiam ipsum a nonnullis in controversiam vocatur, praeteream, una cum Lysiae epitaphio Menexeni quoque vel, quam sibi vindicat, aetas sola stabilita atque munita est, hac re etiam ille Aristotelis Rhetoricae liber III, quem quidem multis suspectum esse supra diximus, quiddam fidei auctoritatisque nanciscitur atque ita suis rursus testimoniis utriusque harum orationum auctoritatem germanamque originem eo magis atque mirum in modum confirmat.

Sed nescio, quid longius a proposito digrediar alibique argumenta quaeram. Etenim recta via et causis locisque in re ipsa haerentibus atque innatis genuinam epitaphii indolem satis demonstravimus. Cum vero tamen extrinsecus quoque rationes accesserint, nescio quam certo nobis videmur effecisse, ut haec oratio oratori Lysiae non modo non, cum veterum testimoniis confirmetur, abiudicanda sit, verum etiam, si non confirmaretur, vindicanda esse videatur. Quod si re vera nobis contigit, non solum quaestionem multum diuque disceptatam persolvisse satis erit, sed etiam iuvabit illius mentis ac memoriae humanae rationis quasi specimen quoddam dedisse.

DE VITA MEA.

Petrus Thomaschik natus sum die XXIII mensis Februarii a. h. s. LIV in Silesiae superioris vico Magna Dombrowka parentibus Francisco Thomaschik et Maria Sczogiel, ex quibus matrem iam pridem mortuam lugeo, patrem adhuc superstitem esse gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis eruditionis rudimentis in ludo domestico imbutus gymnasium Bythomiense adii atque per novem annos frequentavi. Inde auctumno a. h. s. LXXVI Vratislaviam ad universitatem Viadrinam me contuli, ubi adhuc versatus sum philosophiae atque antiquarum litterarum studiis deditus. In quae initiatus sum scholis horum virorum illustrissimorum:

Dilthey, Hertz, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Weber, Weinhold.

Quibus omnibus ea de causa gratias ago quam maximas.

THESES.

I. Herod. IV, 119 emendandum est: ἦν μέντοι ἐπίῃ καὶ ἐπὶ τὴν ἡμετέρην ἄρξῃ τε ἀδικέων, καὶ ἡμεῖς οὐ κεισόμεθα (plerique codd. οὐ πεισόμεθα, s οὐκ οἰσόμεθα).

II. Lysiae orationum XIV et XV genuina origo iniuria a quibusdam in dubium vocatur.

III. Inter epitaphium Lysiae et qui dicitur Demosthenis ullam interiorem rationem intercedere nego.

IV. Dion. Hal. de Isocr. p. 556, 13 (Reiske) scribi volo: ἀξιῶν μεταθέσθαι μὲν τὴν τότε καθεστῶσαν δημοκρατίαν ὡς μεγάλα βλάπτουσαν τὴν πόλιν, ὑπὲρ ἧς δημηγορῶν οὐδεὶς ἐπεχείρει λέγειν (codd. δημαγωγῶν).

V. Cic. Tusc. locum V, 37, 106 sic restituendum esse censeo: Id (sc. exilium) si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda, si cui accidit, paulo ante dictum est (codd. sicut a).

VI. Apud Curtium vestigia consciae et insciae imitationis Horatii inveniuntur.





